o |
i |

NICOLAI KLIMII ITER SVBTERRANEVM

NOVAM TELLVRIS THEORIAM AC HISTORIAM QVINTÆ MONARCHIÆ ADHVC NOBIS INCOGNITÆ EXHIBENS

E BIBLIOTHECA B. ABELINI.

HAFNIÆ & LIPSIÆ,
SVMPTIBVS IACOBI PREVSSII.
ii *MDCCXLI.* |

---

1 |

NICOLAI KLIMII
ITER SVBTERRANEVM.
CAPVT I.
AVTORIS DESCENSVS AD INFEROS.

Anno 1664, postquam in Academia Hafniensi vtroque examine defunctus eram, et Characterem, qui dicitur Laudabilis, suffragiis Tribunalium, tam Philosophorum, quam Theologorum, emerueram, reditui in patriam me accingo, nauemque Bergas Noruegiae ituram conscendo, niueis vtriusque Facultatis calculis monstrabilis, at aeris inops. Commune mihi fatum cum caeteris Noruegiae Studiosis erat, qui a bonarum artium mercatura deplumes in patriam redire solent. |Ferentibus ventis vsi, post prosperam sextidui nauigationem portum
2 Bergensem intrauimus. Ita redditus patriae, doctior quidem, sed non ditior, sumptibus eorum, qui necessitudine mihi iuncti erant, subleuatus aliquandiu, precariam, licet non plane desidem atque inertem vitam egi. Nam, vt Physicum, cui initiatus eram, studium experimentis illustrarem, indolemque terrae ac montium viscera explorarem, omnes prouinciae angulos solicite perreptabam. Nulla tam ardua erat rupes, quam non scandere, nulla tam praeceps et immanis cauerna, in quam non descendere conabar, visurus, ecquod curiosum ac Physici examine dignum forte reperirem. Permulta enim in patria nostra, non oculis modo, sed ne auribus quidem nouimus, quae si tulisset Gallia, Italia, Germania, aliaue quaelibet miraculorum ferax commendatrixque terra, audita, perlecta lustrataque haberemus. Inter ea, quae notatu maxime mihi visa sunt digna, erat spelunca magno praeceps hiatu in cacumine montis, quem indigenae vocant *Flöien*. Cumque os eiusdem speluncae leuem ac haud in|gratam per interualla emittat auram, sed ita, vt crebris quasi
3 singultibus fauces modo laxare, modo includere videatur, literati Bergenses, in primis celeberrimus *Abelinus*, et Conrector Scholae Mag. *Eduardus*, Astronomiae ac Physices apprime gnarus, rem credebant exercitationibus philosophicis dignissimam, saepeque populares, cum ipsi prae senio nequirent, stimulauerant ad indolem istius cauernae penitius inspiciendam; maxime cum statis veluti vicibus, ad exemplum respirantis

hominis, retractam cum impetu regereret animam. Stimulatus ego qua sermonibus horum, qua proprio ingenio, descensum in hanc cauernam meditabar, mentemque meam quibusdam ex amicis indicabam. Sed his consilium valde displicebat, dicentibus, inceptionem esse stulti ac desperati hominis. At impetum his monitis non flectere, nedum frangere poterant, et quae sufflaminare ardorem deberent, aegro animo faces subiiciebant: Ad quoduis enim discrimen subeundum, acerrimum istud, quo in res naturales detegendas ducebar, studium excitabat, et sponte currenti calcaria addebant rerum |domesticarum angustiae. Nam
4 exhaustae erant facultates, et durum ac molestum mihi videbatur, aliena diutius quadra viuere in patria, vbi omni emergendi spe incisa, ad perpetuam mendicitatem me damnatum intuebar, omneque ad honores et emolumenta obseptum iter, nisi audaci aliquo facinore nobilitarer. Obfirmato igitur animo, et praeparatis huic expeditioni necessariis, die quodam Iouis, cum serenum atque impluuium esset coelum, egredior ciuitate paulo post diluculum, quo, rebus peractis, saluo adhuc die, redire in vrbem liceret; Quippe rerum futurarum nescius praeuidere non poteram, quod alter ego Phaëthon

Voluerer in praeceps, longoque per aëra tractu

in alium orbem detrusus, non nisi post decem annorum errores patriam et amicos reuisurus essem.

Suscepta est haec expeditio Anno 1665 Coss. Berg. *Iohanne Munthe* et *Laurentio Seuerini*, Senatoribus, *Christierno Bertholdi* et *Laurentio Sandio*] *B*, Scandio *A;* Scandio *SS (vide comm.)*. Euntem comitabantur quatuor mercenarii, qui funes et harpagones, quibus descendenti erat opus,
5 |secum ducebant. Recta tendimus ad *Sanduicum*, per quem commodissime in montem ascenditur. Enixi in cacumen, postquam peruenimus in locum, vbi fatalis erat cauerna, fessi molesto itinere, paulisper ibi consedimus, ientaculum sumpturi. Tunc animus, quasi instantis mali praesagiens, compauescere mihi primum coepit. Igitur conuersus ad comites, ecquis, rogo, aleam hanc prior subire velit? nemine vero respondente, impetus languescens ex integro recaluit: funem aptari iubeo, itinerique ita paratus animam Deo commendo. Iam in cauernam demittendus comites docebam, quid porro faciendum: pergerent scilicet remittere funem, donec vociferantem me audirent, quo signo dato, restem intenderent, ac vociferari perseuerantem ex antro subito retraherent. Ipse

dextra tenebam harpagonem, quo mihi opus erat, vt, si qua in descensu occurrerent obstacula, remouerem, et medium inter vtrumque cauernae latus corpus suspensum seruarem. At vix ad altitudinem decem vel
6 duodecim cubitorum descenderam, cum rumpitur restis. Malum hoc mihi innotuit |e subsequenti mercenariorum clamore et vlulatu, qui tamen mox euanuit. Nam mira celeritate in profundum rapior, et tanquam alter Pluto, nisi quod harpago mihi pro sceptro esset,

Labor, et icta viam tellus ad tartara fecit.

Circiter horae quadrantem, quantum in ista animi perturbatione coniicere licuit, in spissa caligine et perpetua nocte versatus eram, cum tandem tenue quoddam lumen, crepusculi instar, emicuerit, et mox lucidum et serenum coelum apparuerit. Stulte igitur credebam, aut a repercussione aëris subterranei, aut vi contrarii venti me reiectum, cauernamque istam spiritus sui reciprocatione in terram me reuomuisse. At neque sol, quem tunc conspicabar, nec coelum, nec reliqua sidera nota mihi erant phaenomena, cum coeli nostri sideribus ista, quae iam videbam, essent minora. Credebam igitur, aut totam noui istius coeli machinam in sola cerebri imaginatione, e capitis vertigine excitata, consistere, aut fingebam me mortuum ad sedes beatorum ferri. At vltimam hanc opinionem mox
z |ridebam, cum me ipsum intuerer harpagone munitum, et longum funis syrma trahentem, satis gnarus, reste ac harpagone non opus esse in paradisum eunti, nec coelitibus placere posse ornatum, quo ad exemplum Titanum Olympum vi expugnare, et superos inde deturbare velle viderer. Tandem, re serio pensitata, iudicabam, delatum me fuisse in coelum subterraneum, ac veras esse eorum coniecturas, qui concauam statuunt terram, et intra crustas illius alium contineri orbem nostro minorem, aliudque coelum sole, sideribus ac planetis minoribus interstinctum. Et docuit euentus, acu me rem tetigisse.

Impetus iste, quo praeceps ferebar, diu iam durauerat, cum tandem sentirem, paulatim languescere, prout propius accederem planetae, seu coelesti cuidam corpori, quod primum in descensu obuium habui. Idem planeta in tantum sensim excreuit, vt tandem per densiorem quandam atmosphaeram, qua cinctus erat, montes, valles et maria internoscere haud difficulter possem;

8 |

– – Sicut auis, quae circum litora, circum

Piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta,
Haud aliter terras inter coelumque volabam.

Tunc animaduertebam, non modo suspensum me in aura coelesti natare, sed et cursum, qui adhuc perpendicularis fuerat, in circularem abire. Hinc stetere mihi comae; nam verebar, ne in planetam vel satellitem proximi planetae transformarer, aeterna vertigine circumagendus. At, cum reputarem, dignitatem meam hac metamorphosi nil detrimenti capturam, corpusque coeleste, seu satellitem coelestis corporis pari saltem passu ambulaturum cum famelico Philosophiae Studioso: animum resumo, maxime cum beneficio aurae purioris et coelestis, in qua natabam, neque fame neque siti premi me sentirem. Attamen, cum ad animum reuocarem, in loculis meis esse panem (Bergenses vocant Bolken, qui figurae oualis vel potius oblongae solet esse) statui e loculis eundem depromere, et periculum facere, ecquid in isto rerum statu palato arrideret. Sed primo
9 statim |morsu nauseam mihi moturum omne terrestre alimentum deprehendens, tanquam rem plane inutilem abieci. At excussus panis non modo suspensus in aethere stetit, sed mirabile dictu, circulum minorem circa me describere coepit. Et innotuerunt mihi exinde verae motus leges, quae efficiunt, vt omnia corpora in aequilibrio posita motum circularem sortiantur. Hinc qui tanquam fortunae ludibrium me nuper deploraueram, fastu tumescere coepi, intuens me ipsum non solum tanquam simplicem planetam, sed et talem, qui perpetuo stipatus foret satellite, adeo vt inter sidera maiora aut primi ordinis planetas quodammodo referri possem. Et vt impotentiam meam fatear, tantus tunc animum fastus incessit, vt, si obuios habuissem omnes simul Consules ac Senatores *Bergenses*, cum supercilio eosdem excepissem, tanquam atomos adspexissem, indignosque iudicassem, quos salutarem, aut quibus harpagonem meum subiicerem.

Integrum fere triduum in isto statu permanebam. Nam, cum circa
10 planetam mihi proximum absque intermissione vo|lutarer, noctes ac dies discriminare poteram, solem subterraneum iam orientem, iam rursus descendentem, et e conspectu meo abeuntem cernens, quamuis nullam, qualis apud nos, noctem sentirem. Cadente enim sole, lucidum apparuit ac purpureum vndique firmamentum, splendori lunae haud dissimile; id quod iudicabam esse intimam terrae subterraneae superficiem aut hemisphaerium, quod lumen istud a sole subterraneo, in centro huius orbis posito mutuabatur. Hypothesin hanc mihi fingebam studii Physicae

coelestis non plane hospes. At, cum ista felicitate Diis me proximum crederem, meque vt nouum coeli sidus intuerer, vna cum satellite meo, quo cingebar, a proximi planetae Astronomis in catalogum stellarum inferendum: ecce! immane apparuit monstrum alatum, quod iam dextro, iam sinistro lateri meo, iam capiti et ceruici imminebat. Credebam primo intuitu esse vnum e duodecim signis coelestibus subterraneis, ac proinde optabam, si vera esset coniectura, Virginem fore, cum e toto duodecim
11 signorum systemate solum istud signum (sc. Virgo) in ista |solitudine auxilii quid ac solatii afferre valeret. At, cum corpus istud mihi propius accederet, videbam toruum et immanem esse gryphum. Tanto tunc corripiebar terrore, vt oblitus mei ipsius et sidereae meae, ad quam nuper euectus eram, dignitatis, in isto animi aestu deprompserim testimonium meum Academicum, quod in loculis meis forte habebam, occurrenti ostensurus aduersario, examina mea Academica me sustinuisse, Studiosumque me esse, & quidem Baccalaureum, qui quemuis aggressorem extraneum exceptione fori repellere possem. At deferuescente primo aestu, cum ad me paulatim redirem, stoliditatem meam deridebam. Dubium adhuc erat, in quem finem gryphus iste me comitaretur, vtrum hostis esset, an amicus, aut quod verisimilius erat, an sola rei nouitate delectatus, propius accedendo oculos saltem pascere vellet. Nam adspectus corporis humani, in aëre circumacti, harpagonem dextra tenentis, et longum post se funem caudae instar trahentis, phaenomenon erat, quod quoduis brutum animal in spectaculum sui
12 allicere posset. Insolita ista |figura, quam tunc expressi, variis, vt postea audiui, sermonibus et coniecturis ansam dederat incolis globi, circa quem voluebar. Nam Philosophi ac Mathematici cometam me putarunt, funem pro cauda cometae capientes. Et erant, qui ex eodem insolito meteoro imminens aliquod malum, pestem, famem aut insignem aliquam catastrophen portendi iudicarunt. Nonnulli etiam vlterius progressi, corpus meum, quale e longinquo illis visum fuerat, accuratis penicillis delineauerant, adeo vt descriptus, definitus depictus & aeri incisus essem, antequam globum istum attigerim. Haec omnia non sine risu ac voluptate quadam audiui, cum in orbem hunc delatus linguam subterraneam didicissem.

Notandum est, dari quoque repentina quaedam sidera, quae subterranei dicunt *Sciscisi*, (i. e.) crinita, quaeque describunt horrentia crine sanguineo, et comarum modo in vertice hispida, adeo vt in speciem

barbae longae promineat iuba. Hinc non secus ac in orbe nostro inter prodigia coelestia referuntur.

13. |Sed vt ad telam reuertar, gryphus iste eo viciniae iam peruenerat, vt alarum quassatione me infestaret, et tandem crus meum serrato vexare morsu non dubitaret, adeo vt manifeste patuerit, qua mente nouum hospitem venaretur. Hinc coepi pugnacissimum animal armata elidere manu, et harpagonem vtraque manu complexus, hostis audaciam compescui, fugae locum saepe circumspicere cogens, tandemque, cum pergeret me vellicare, post vnum vel alterum inanem ictum, harpagonem tanto impetu tergo alitis inter vtramque alam impegi, vt telum reuellere nequirem. Vulneratus ales] ales, *A B;* ales *Elberling Kragelund,* ales, *SS* horrendo edito stridore in globum praeceps corruit. Ego vero status iam siderei ac nouae dignitatis, quam variis casibus et periculis, vt vulgo fieri solet, expositam videbam, pertaesus

Arbitrio volucris rapior, quaque impetus egit,
Huc sine lege ruo, longoque per aëra tractu
In terram feror, vt de coelo stella sereno,
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.

14. |Et ita motus circularis, quem nuper descripseram, in perpendicularem denuo mutatur.

Sic ingenti cum impetu per aduersa crassioris aëris verbera, cuius stridor aures percutiebat, diu tractus, tandem leui innoxioque] *B,* innoxique *A;* innoxique *SS* (innoxioque *commendat SS app.)* casu in globum delabor vna cum alite, qui paulo post e vulnere obiit. Nox erat, quando in planetam istum delatus fui, id quod e sola absentia solis colligere poteram, non vero e tenebris; nam tantum luminis restabat, vt testimonium meum Academicum distincte legere possem. Oritur nocturnum istud lumen e firmamento siue crusta terrae inuersa, cuius hemisphaerium splendorem, qualem apud nos luna, reddit: hinc si solius luminis ratio habeatur, parum hic differunt noctes a diebus, nisi quod absit sol, et absentia eiusdem noctes reddat paulo frigidiores.

15. |

CAPVT II.
DESCENSVS IN PLANETAM NAZAR.

Defunctus ita aëria hac nauigatione, cum globum saluus et illaesus
attigissem, (nam impetus, quo initio ferebatur gryphus, cum virium
diminutione languerat) iacebam diu immobilis, exspectans, quid noui
illucescente die mihi contingeret. Animaduertebam tunc pristinas
infirmitates redire, opusque mihi esse tam somno quam cibo, adeo vt
poenitudo me ceperit abiecti temere panis. Variis solicitudinibus fesso
animo tandem altus sopor obrepsit. Stertueram, quantum coniicere mihi
licuit, duas horas, cum horrendus boatus diu quietem turbans, tandem
somnum penitus excussit. Dormientis animo variae ac mirae
oberrauerant imagines. Videor in Noruegiam rediisse, ibique popularibus,
quae vsu venerant, narrasse. Imaginor denique in Templo Fanoensi haud
procul ab vrbe cantantem Diaconum *Nicolaum Andreae* audire,
16 strido|remque vocis illius aures meas misere et more solito ferire. Igitur
experrectus credebam, latratum istius viri somnum turbasse. Sed cum
haud procul stantem viderem taurum, ex eiusdem boatu quietem
abruptam conieci. Mox timidos oculos vndique circumferens, cum oriente
sole, virides passim campos et foecundos videbam agros. Arbores quoque
apparuere, sed (mirabile visu) mobiles erant, licet tanta esset aëris
tranquillitas, vt ne leuissima quidem] quaedam *A B;* quidem *Elberling,* quidam *SS*
(quidem *commendat SS app.)* pluma moueri loco posset. Cum mugiens taurus
recta ad me tenderet, trepidus fugam circumspiciebam, ac in ista
trepidatione arborem haud procul stantem conspicatus, eandem scandere
conabar. Sed cum in eo essem, vocem illa edidit teneram, sed acutam et
talem, qualis solet esse iracundae mulieris, moxque quasi palma
excussissima colaphus mihi tanta vi inflictus est, vt vertigine correptus,
pronus in terram caderem. Ictu hoc iam quasi fulmine percussus, ac
terrore animam propediem agens, murmura vndique audiebam et
strepitus, qualibus resonare solent macella aut mercatorum basilicae,
17 quando ma|xime sunt frequentes. Postquam oculos aperiebam:
conspicabar totam circa me syluam animatam, campumque arboribus
arbusculisque obsitum, cum nuper vix sex vel septem apparuissent. Vix
dici potest, quantas haec omnia in cerebro meo turbas excitauerint, et
quantum his praestigiis animus commotus fuerit. Iam vigilem me

somniare, iam spectris me vexari, et malis spiritibus obsideri, iam alia
absurdiora mihi fingebam. Sed tempus mihi non datum est, automata
haec eorundemque causas excutiendi; nam aduolans mox alia arbor
ramum demittit, cuius extremitas sex gemmis, tanquam totidem digitis,
munita erat. His iacentem me sustulit, ac vociferantem abstraxit,
comitantibus innumeris diuersi generis diuersaeque magnitudinis
arboribus, quae sonos ac murmura edebant, articulata quidem, sed
auribus meis peregrina, adeo, vt nihil praeter verba haec, *Pikel Emi*, cum
saepius eadem iterata fuerint, retinere memoria potuerim. Audiui mox
per verba haec intelligi simiam insolitae figurae: quippe e corporis mei
forma et cultu coniiciebant, me simiam esse, quamuis specie non|nihil
18 distinctam a Cercopithecis, quos haec terra alit. Alii pro incola firmamenti
me ceperunt] coeperunt *A B;* ceperunt *Elberling* , quem alitem per aërem huc
asportasse credebant; id quod olim vsu venisse, annales huius globi
testantur. Sed haec non nisi post aliquot mensium intercapedinem, et
postquam linguam subterraneam edoctus fueram, didici. Nam in
praesenti rerum statu prae metu et mentis perturbatione mei ipsius
oblitus eram, nec capere poteram, quid de viuis et loquacibus arboribus
statuendum, nec quorsum euaderet processio haec, quae lente et
compositis gradibus fiebat. Voces tamen et murmura, quibus vndique
personabant campi, iram et indignationem quandam indicabant; et sane
non sine graui causa iram in me conceperant. Arbor enim ista, quam
taurum fugiens scandere volebam, vxor erat Praetoris, qui in proxima
ciuitate ius dicebat, qualitasque personae laesae crimen aggrauauerat;
nam non modo simplicem et plebeiae sortis mulierem, sed matronam
primi ordinis visus sum voluisse palam subagitare; insolitum ac
horrendum genti adeo modestae ac verecundae specta|culum. Tandem ad
19 ciuitatem, quo captiuus ducebar, ventum est. Erat illa non minus superbis
aedificiis, quam regionum, vicorum ac platearum concinno ordine et
symmetria monstrabilis. Altae adeo conspicuaeque erant aedes, vt
speciem turrium praeberent. Plateae ambulantibus plenae erant
arboribus, quae demittendo ramos se inuicem in occursu consalutabant,
quoque plures deprimerent ramos, eo maius erat reuerentiae ac
submissionis argumentum. Ita, cum e conspicua quadam domo forte
eodem tempore egrederetur quercus, ad visum illius demissis ramis
plerisque retro cedebant caeterae arbores, vnde coniicere licuit, eandem
supra sortem vulgarem esse. Et innotuit mox mihi vrbis esse Praetorem,

et quidem eundem, cuius a me laesa dicebatur vxor. Rapior mox sublimis in eiusdem Praetoris aedes, vbi confestim a tergo meo obditur ianua, et fores oppessulantur, quocirca me tanquam pistrini candidatum intuebar. Metum hunc insigniter adaugebant positi extra fores, tanquam in excubiis, tres custodes; singuli sex securibus pro numero ramorum erant
20 armati; nam quot rami erant, tot brachia, et quot gemmae, tot |digiti. Notabam in summitate] summit te *A (littera deest)* truncorum posita esse capita, humanis haud absimilia, et loco radicum binos conspicabar pedes, eosdemque admodum curtos, unde fit, vt testudineo gradu incedant planetae huius incolae. Hinc, si solutus fuissem, facile mihi foret, manus illarum effugere, cum pernicitate pedum praestantior prae illis volare viderer.

Vt breui me expediam, perspicue iam videbam, arbores has incolas esse huius globi, et ratione easdem esse praeditas, mirabarque varietatem istam, qua natura in animantium formatione delectatur. Arbores hae nostras proceritate non exaequant, quippe iustam hominis staturam vix excedunt pleraeque; quaedam minores erant; flores diceres aut plantas; et has coniiciebam esse infantes. Mirum est, in quosnam cogitationum labyrinthos phaenomena ista me deduxerint, quot suspiria mihi expresserint, quantumque carissimae tunc patriae desiderium subierit. Nam, quamuis istae arbores visae mihi sint sociabiles, linguae beneficio vtentes, ac specie quadam rationis praeditae, adeo, vt ad animantia
21 rationalia quodammodo |referri possent, dubitabam tamen, comparari posse cum hominibus; negabam iustitiam, clementiam, aliasque virtutes morales inter easdem locum habere. His cogitationum turbis collisus, viscera mea moueri sentiebam, et e fontibus oculorum torrentes lacrimarum defluentes faciem inundabant. Sed cum dolori ita indulserim, et in fletus me muliebres coniecerim, intrant cubiculum custodes corporis mei, quos respectu securium tanquam lictores intuebar. His praeeuntibus ducor per vrbem ad perspicuam quandam domum, in vmbilico fori positam. Visus mihi tunc sum Dictatoriam dignitatem adeptus, et Consule Romano maior; nam non nisi duodecim secures in comitatu consulum erant, cum ego octodecim stipatus procederem. Valuis aedium, ad quas ferebar, caelata stabat Iustitia] iustitia *A B;* Iustitia *Elberling,* iustitia *SS* , in formam arboris efficta, bilancem ramo tenens. Imago eadem erat filo] *A,* filio *B* virginali, adspectu vehementi, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reuerendae cuiusdam tristitiæ dignitate

22 spectabilis. Hinc senaculum esse mihi liquido patuit. Introductus in curiam, cuius strata tessel|lati operis marmore interstincta nitebant, aureo ibi sedili tanquam tribunali sublimem vidi arborem, cum bis senis assessoribus, qui a dextra et sinistra Praesidis, ordine concinno, ac totidem subselliis assidebant. Praeses palma erat mediocris staturae, sed inter caeteros iudices ob foliorum varietatem, quae diuersis coloribus erant tincta, notabilis. Vtrumque latus cingebant apparitores numero viginti quatuor, quorum singuli sex securibus armati stabant. Horrendum oculis meis spectaculum! cum ex ista armatura sanguinariam hanc gentem ominarer.

Ad introitum meum consurgentes senatores excelsos ad aethera extendebant ramos, quo religionis exercitio defuncti, denuo consederunt. Sedentibus cunctis, ante cancellos ego sistor inter duas medius arbores, quarum trunci pelle ouina erant obducti. Credebam esse aduocatos, et reuera tales erant. Antequam causas dicere coeperunt, centonibus quibusdam atrati coloris obuoluitur caput Praesidis. Mox actor breuem habuit orationem, quam ter repetiuit; responditque pari breuitate rei
23 defensor. Actiones |eorum subsecutum est semihorae silentium. Tunc adempto, quo tectus erat, velamine, exsurgit Praeses, sublatisque denuo ad sidera ramis, verba quaedam decenter enunciauit, quibus sententiam meam contineri iudicabam. Nam finito sermone, dimissus ad vetus ergastulum reducor, vnde tanquam e cella promptuaria ad flagrum me mox depromendum ominabar. Solus ibi relictus, cunctis quae acciderant ad animum reuocatis, ridebam stultitiam huius gentis; nam visa mihi est potius histrioniam egisse, quam iustitiam exercuisse, omniaque, quae videram, gestus, ornatus, modus procedendi etc. ludicris spectaculis ac pantomimorum scenis, quam graui Themidos tribunali apparebant digniora. Felicitatem tunc orbis nostri praedicabam, et praestantiam Europaeorum prae caeteris hominibus. At, quamuis stuporem et stoliditatem gentis huius subterraneae damnarem; coactus tamen simul eram fateri, a brutis animantibus debere distingui. Nam nitor ciuitatis, symmetria aedificiorum, et alia manifeste indicabant, ratione non
24 destitutas esse has arbores, nec artium, |inprimis mechanices, prorsus esse rudes. Sed putabam, hoc solo virtutem ac] *A*, ab *B* praestantiam omnem absolui.

Dum ita tacitus mecum loquebar, intrat arbor, sistrum manu tenens. Eadem, diffibulato meo pectore, ac nudato altero brachio, mediam mihi

venam scite admodum pertudit. Postquam sanguinis, quantum sat videbatur, elicuerat, brachium non minori] *A B;* minore *Elberling SS* dexteritate obligabat. Ita officio functa, inspecto solicite sanguine, tacita ac velut admiratione satura digreditur. Haec omnia confirmabant opinionem, quam de stoliditate huius gentis mihi finxeram. At, quam primum linguam subterraneam edoctus essem, et explicata mihi cuncta fuissent, contemptus in admirationem vertitur] *A,* veritur *B* . Processus hic forensis, quem temere damnaueram, ita mihi exponitur. E forma corporis mei iudicauerant, me esse incolam firmamenti. Visus fueram honestam et primi ordinis matronam velle violare. Ob crimen hoc in forum reus tractus fueram. Aduocatorum alter culpam exaggerauerat, supplicium
25 lege debitum poscens; alter vero non poenam deprecatus erat, sed |dilationem supplicii suaserat, donec innotuerit, quis, qualis et cuias essem, vtrum brutum, an animal] *A,* anima *B* rationale. Porro ramorum extensionem didici esse actum religionis ordinarium, antequam res diiudicaretur. Aduocati ouina tecti erant pelle, vt memores essent innocentiae et integritatis in partibus obeundis. Et reuera probi hic omnes ac integri sunt, id quod monstrat, in republica bene constituta dari posse probos ac honestos causidicos. Seuerae adeo in praeuaricatores latae sunt leges, vt nec sycophantiis, nec fucis vllum mantellum sit obuium; nec deprecatio perfidiis, nec maledictis sit fuga, nec confidentiae vsquam hospitium sit, nec diuerticulum dolis. Verborum trina repetitio fieri solebat ob tarditatem perceptionis, qua ab aliis gentibus distinguebantur huius terrae incolae; nam paucis datum erat intelligere, quod obiter legerant, aut percipere, quod semel tantum audiuerant. Qui statim rem capiebant, vi iudicandi credebantur destituti, ideoque raro hi ad magna ac
26 momentosa munera admittebantur. Experientia quippe didicerant, fluctuasse rempublicam in ma|nibus eorum, qui promptissimae sunt perceptionis, ac qui vulgo magna ingenia dicuntur; tardos vero, ac per contemptum hebetes dictos, composuisse, quae primi turbauerant. Paradoxa haec omnia erant, licet serio ponderanti non plane absurda mihi sint visa. Maximam vero admirationem mouebat historia Praesidis: nam virgo erat, indigena huius loci, et a Principe constituta *Kaki*, seu supremus in ciuitate iudex. Apud hanc gentem enim nullum in distributione officiorum obseruatur sexus discrimen, sed habito delectu, reipublicae negotia dignissimis conferuntur. Vt rite de vniuscuiusque profectu ac dotibus animi iudicetur, instituta sunt seminaria, quorum

ephori siue directores dicebantur *Karatti*] *A, Karratti B* (vox ista proprie denotat examinatores siue scrutatores). Eorum officium erat, profectum et vires vniuscuiusque examinare, indolem iuuentutis penitius inspicere, habitoque examine, principi quotannis exhibere indicem eorum, qui ad
27 munera publica essent admittendi, simulque ostendere, qua in re vnusquisque patriae maxime vsui esse posset. Accepto isto cata|logo, Princeps nomina candidatorum libro inferri iussit, quo in memoria et tanquam ante oculos haberet, quos ad vacantia munera admoueret. Praedicta virgo splendidum ante quatuor annos a Karattis obtinuerat testimonium, eoque nomine a principe constituta erat Praeses Senatus huius vrbis, in qua nata erat. Sancta et constans est huius moris obseruantia apud *Potuanos*, cum credant, optime iis perspectum esse statum loci, qui in eodem nati sunt et educati. *Palmka* (id nomen huic virgini erat) summa cum laude triennii spatio spartam hanc ornauerat, habitaque fuit prudentissima totius ciuitatis arbor. Nam tanta illi erat perceptionis tarditas, vt rem, nisi ter vel quater repetita esset, aegre perciperet. At, quod semel percepit, penitus perspexit, tantoque iudicio quaeuis problemata discussit, vt effata eiusdem totidem oracula habita fuerint.

Nouit enim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis librae, rectum discreuit, vbi inter
Curua subit, vel cum fallit pede regula raro.

28 |Hinc nulla ab ea quadriennii spatio dicta fuit sententia, quae non a summo Tribunali *Potuano* confirmata et encomiis ornata esset. Igitur institutum istud in fauorem sexus sequioris, quod primo intuitu damnaueram, non plane absonum curatius examinanti visum est. Cogitabam mecum, quid, si vxor Praetoris nostri *Bergensis* loco mariti ius diceret? quid, si aduocati *Seuerini* filia, eloquentia ac praeclaris animi dotibus ornata virgo, pro stupido parente causas in foro ageret? iurisprudentia nostra parum inde detrimenti caperet, et forsitan Themis toties non vapularet. Cogitabam porro, quoniam in foris Europaeis causae celeriter adeo iudicantur, sententias istas extemporales ac praecoces, si seueriori examini subiicerentur, notas censorias] *A,* censoris *B;* censoris *Elberling Kragelund* non effugituras. Vt pergam reliqua explicare: venae sectionis rationem hanc audiui. Si quis criminis conuictus sit, pro flagris, membrorum mutilatione aut capitali supplicio ad venae sectionem

damnatur, quo pateat, vtrum e malitia, an sanguinis aut humorum vitio
29 deriuandum sit crimen, et an tali operatione corrigi queat, adeo, |vt
tribunalia haec ad emendationem potius quam ad poenam spectent.
Emendatio tamen haec poenam quodammodo complectebatur, quoniam
nota quaedam ignominiae erat, ex iudicis sententia hanc operationem
subire. Si quis iterum laberetur, indignus ciuitate iudicatus, ad
firmamentum, vbi omnes absque discrimine recipiebantur, solebat
relegari. At de exilio isto, eiusdemque indole, plura mox dicenda. Quod
vero chirurgus iste, qui venam mihi mediam aperuit, ad visum sanguinis
mox obstupuerit, causa haec erat, quod incolae huius globi, loco
sanguinis, liquidum et candidum habeant succum, per venas fluentem,
qui, quo est candidior, eo maior sanctitatis nota.

Haec omnia linguam subterraneam edocto penitius innotuerunt, quo
facto clementius iudicium ferre coeperam de gente ista, quam temere
nimis damnaueram. At, quamuis stupidas et stolidas has arbores primo
intuitu iudicaueram, animaduerteram tamen mox non omni humanitate
esse destitutas, ac proinde nullum mihi esse periculum vitae; in qua spe
30 confirmabar, cum viderem, bis quouis die ali|menta mihi afferri. Cibus
vulgo constabat e fructibus, herbis ac leguminibus; potus erat liquidus
succus, quo nil dulce magis ac saporum.

Praetor iste, in cuius custodia eram, Principi siue Dynastae, haud
procul ab hac ciuitate degenti, mox indicabat, in manus suas casu
incidisse animal quoddam rationale, sed insolitae figurae. Rei nouitate
motus Princeps, in lingua me erudiri, et deinde ad aulam suam mitti
iubet. Datus hinc mihi fuit Magister linguae, sub cuius institutione
semestri spatio tantum profeci, vt cum incolis satis expedite fabularer.
Postquam in lingua subterranea tyrocinii rudimenta deposueram,
adfertur ab aula nouum mandatum de vlteriore mea institutione,
iubeorque seminario vrbis initiari, vt a *Karattis* eiusdem siue
examinatoribus perspicerentur vires ingenii mei, et in quo disciplinae
genere maximam spem promitterem. Haec omnia solicite exsequuntur;
sed dum in stadio hoc eram, non corporis mei minor cura habebatur
quam animi, et soliciti inprimis erant, vt ad similitudinem arboris,
31 quantum fieri licuit, formarer; quem in |finem ramos quosdam adscititios
corpori aptabant.

Dum haec aguntur, hospes meus redeuntem quauis vespera e
seminario, variis sermonibus ac quaestionibus exercebat. Audiuit summa

cum animi voluptate me de iis, quae in subterraneo hoc itinere vsu venerant, dissertantem; maxime vero obstupuit ad descriptionem terrae nostrae, et immensi, quo cincta erat, coeli, innumeris sideribus interstincti. Horum omnium attentus auidusque erat auditor; at erubuit non nihil ad ea, quae narrabam de arboribus nostri orbis, quae inanimatae, immobiles, ac radicibus terrae stent fixae, ac tandem non sine indignatione me intuebatur, cum testarer, arbores nostras caesas calefaciendis fornacibus et cibis coquendis inseruire. Attamen re serio pensitata, paulatim ira detumuit, protensisque versus coelum quinque ramis, (nam totidem illi erant) iudicia Creatoris, cuius sint variae occultae rationes, est miratus: attente porro audiuit alia narrantem. Vxor illius, quae adhuc praesentiam meam auersata fuerat, cum veram, ob quam in
32 iudicium tractus eram |causam] *A,* casam *B* didicisset, ac specie me arboris, quam in orbe nostro scandere solemus, deceptum, abiecta omni suspicione, in gratiam mecum rediit. At ego, ne inter initia coëuntis gratiae recentem cicatricem rescinderem, non nisi praesente ac iubente marito, sermones cum illa miscui.

CAPVT III.
DESCRIPTIO VRBIS KEBAE.

Interea, dum in cursu hoc tyrocinii eram, per vrbem me circumduxit hospes meus, vt monstraret, quicquid maxime curiosum ac spectabile erat. Ambulauimus absque impedimento, ac, quod maxime mirabar, sine vllo incolarum accursu; aliter ac apud nos fieri solet, vbi ad omne, quod insolitum est, cateruatim aduolant homines, vt curiosos pascant oculos. Nam incolae huius planetae nouitatis parum auidi solida tantum sectantur. Ciuitati huic nomen est *Keba*, quae inter vrbes Principatus
33 *Potuani* secundum locum te|net. Incolae graues adeo sunt ac prudentes, vt quot ciues, tot Senatores diceres. Honestissimum ibi est senectutis domicilium; nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam senectus est honoratior, cuius non in sententia sola, sed et nutu residet auctoritas. Mirabar gentem adeo modestam ac sobriam certaminibus ludicris, comoediis ac spectaculis delectari; nam haec grauitati eiusdem parum

conuenire videbantur. Id quod animaduertens hospes: per totum, ait, hunc Principatum seria ac nugae per vices nos partiuntur,

Saturnumque grauem nostro Ioue frangimus vna.

Inter alia enim huius Principatus egregia instituta erat permissio voluptatum innocuarum, quibus roborari creditur animus, et ad molesta obeunda munera reddi idoneus, quibusque dissipari putantur atrae istae nubes, ac melancholici affectus, tot turbarum, seditionum ac prauorum consiliorum fontes. Hac ratione ducti grauiora opera lusibus iocisque distinguunt, seueritatem tamen comitatemque ita miscentes, ne illa in
34. tristitiam, haec in petu|lantiam degeneret. At non sine indignatione animaduertebam, inter spectacula et ludos scenicos numerari exercitia disputatoria. Namque statis anni temporibus, factis sponsionibus, et certo vincentibus statuto praemio, disputatores tanquam gladiatorum paria committebantur, eisdem fere legibus, quibus certamina apud nos fiunt inter gallos gallinaceos aut animalia aeque ferocia. Hinc diuitibus mos erat, alere disputatores, quemadmodum in orbe nostro canes venaticos, eosdemque in arte disputandi siue dialectica erudire, vt idonei et loquaces redderentur ad stata, quae quotannis fierent, certamina. Ita ciuis quidam opulentus, nomine *Henochi*, triennii spatio magnas opes, scilicet 4000 *Ricatu* cumulauerat e tropaeis vnius, quem hunc in finem alebat, disputatoris, et haud semel immodicae summae domino eiusdem oblatae fuerant ab iis, qui ex eiusmodi exercitiis quaestus facere solebant; sed adhuc vendere nolebat thesaurum, vnde tot illi quotannis erant reditus. Mira ille linguae volubilitate pollens diruebat, aedificabat, quadrata
35. rotundis mutabat, syllogismorum ca|ptionumque dialecticarum laqueis strepebat, et vnumquemque opponentem distinguendo, subsumendo, et limitando eludere, ac ad silentium pro lubitu reducere callebat. Semel atque iterum spectaculis eiusmodi summa cum animi aegritudine interfui. Nam impium et indignum mihi videbatur, augusta adeo exercitia, quae ornare solent gymnasia nostra, in ludos scenicos transformari. Et cum ad animum reuocarem, ter me summo cum applausu publice disputasse, et lauream exinde emeruisse, a lacrimis vix temperare poteram. Caeterum non ipse magis actus, quam disputandi modus stomachum mihi mouebat. Conducti enim erant certi stimulatores, quos dicebant *Cabalcos*, qui, cum viderent impetum disputantium languescere, latera eorundem sistris quibusdam pungerent, vt denuo recalescerent, ac vires torpentes

integrarent. Mitto alia, quorum meminisse pudet, et quae in gente adeo
exculta damnabam. Praeter hos disputatores, quos *Masbakos*, siue
altercantes, per ludibrium vocant subterranei, erant et alia certamina
inter quadrupedia, tam fera, quam mansueta, et alites maxime feroces,
36 quae |certo spectantibus pretio exhibebantur. Quaerebam ab hospite, qui
fieri posset, vt gens, tanto iudicio praedita, ad ludos circenses reiiceret
nobilia adeo exercitia, quibus facultas loquendi paratur, veritas detegitur,
ingeniumque acuitur. Respondebat ille, certamina haec barbaris olim
saeculis magni aestimata fuisse; sed cum experientia tandem edocti
fuerint, veritatem disputando potius suffocari, iuuentutem procacem
reddi, turbas inde enasci, et solidis studiis compedes iniici, ab Academiis
ad circos haec exercitia transtulisse: et docuisse euentum, silentio,
lectione, ac meditatione citius magisterium adipisci tyrones. Qua tamen
responsione, quantumuis speciosa, non acquiescebam. In ciuitate hac erat
Academia siue Gymnasium, vbi decenter ac summa grauitate docebantur
artes liberaliores. Ab hospite meo in auditorium huius scholae introducor
die quodam solenni, quo crearetur *Madic*, siue Philosophiae Doctor.
Celebratus fuit actus absque vlla caeremonia, nisi quod Candidatus docte
et eleganter de problemate quodam physico disseruerit; quo exercitio
37 defunctus, a Praesidibus Gymnasii in album relatus est eorum |qui
publice docendi iure gaudent. Rogitanti hospiti, ecquid actus iste mihi
placuisset, respondebam, siccum nimis ac ieiunum prae nostris
promotionibus mihi visum. Exponebam porro, qui apud nos creari
soleant Magistri ac Doctores, nempe praeuiis speciminibus disputatoriis.
Ad haec frontem ille contrahens, modum et indolem eiusmodi
disputationum, et, qui a subterraneis differant, quaerit. Respondebam
ego, vulgo fieri de rebus admodum doctis et curiosis, in primis de iis, quae
spectant ad mores, linguas, et vestitus duarum veterum gentium, quae
olim in Europa maxime floruerant; testabarque me trinis eruditis
disputationibus commentatum in veteres earundem gentium crepidas.
Hoc audito, tantum edidit cachinnum, vt tota domus inde exsonaret.
Excitata ad strepitum hunc vxor illius aduolat, causam risus curiose
sciscitans. At, tantam ego conceperam iram, vt respondere non dignarer;
nam indignum mihi videbatur, res adeo graues ac serias cum risu ac
ludibrio excipi. At a marito tandem id, quod rei erat, edocta, in risum non
38 minorem erupit. Res |haec per totam breui vrbem disseminata, perpetuis
sannis ansam dedit, et vxor Senatoris cuiusdam, in risum prona,

narratione hac adeo commota fuit, vt ilia crebris cachinnis paene dissolueret. Et cum non ita multo post febri correpta moreretur, credebatur ex immoderato hoc risu, quo pulmonem nimis exagitauerat, morbum, qui fatalis illi erat, contraxisse. Sed de vera mortis causa non satis liquide constat; murmura tantum eiusmodi audiebantur. Erat alias praeclarae indolis matrona, ac strenua materfamilias; nam septem illi erant rami, quod rarum in isto sexu. Hinc mortem illius aegre tulerunt omnes honestae arbores. Humo mandatur intempesta nocte extra vrbis pomoeria, iisdemque vestibus effertur, quibus mortua est inuenta. Cautum enim lege est, ne quis in vrbe sepeliatur, cum aërem ex effluuiis cadauerum putrescere credant. Cautum porro est, ne cum insigni comitatu ac splendido ornatu efferantur funera, vermium scilicet pabula
39 mox futura. Quae omnia satis prudenter instituta mihi videbantur. Parentalia tamen haberi solent orationesque fune|bres, sed quae pura tantum hortamina sunt ad bene viuendum, quaeque mortalitatis imaginem ante oculos audientium ponunt. Adesse iubentur Censores, obseruaturi, an defunctorum praeter merita memoriam aut extenuent oratores, aut attollant. Hinc encomiorum parcissimi sunt oratores subterranei, cum poena immodice et praeter merita laudantibus sit statuta. Non ita multo post, cum tali parentationi interfuerim, quaerebam ab hospite de sorte et statu defuncti herois, cuius memoria celebrabatur. Respondit ille, agricolam fuisse, quem ad vrbem tendentem mors in itinere occupauerat. Hinc, qui nuper a subterraneis derisus fueram, meo more non minus effuse ridebam, telaque, quae in Europaeos vibrauerant hi, strenue retorsi. *Eccur*, aiebam, *boues ac tauri, rusticorum socii, et commilitones, pro rostris etiam non laudantur? eandem, quam fossores terrae materiam orationi suppeditabunt, eodem ministerio fungentes*. At a risu me temperare iubet hospes, docens, agricolas in his terris summo in
40 honore haberi, ob nobilitatem ministerii, in quo occupantur, nullumque vitae genus hic honestius agricul|tura censeri. Hinc quiuis honestus rusticus, ac diligens paterfamilias, nutritor et patronus oppidanorum salutatur. Eo respectu fieri solet, vt agricolae, cum circa autumni initium, aut mense Palmae ad vrbem cum ingenti numero vehiculorum, frumento onustorum, tendunt, extra portas vrbis obuios habeant Magistratus vrbis, ac tubarum clangore, et symphoniae sono, ouantium ritu, in ciuitatem introducantur. Stupescebam ad hanc narrationem, ad animum reuocans sortem agricolarum nostrorum, sub foeda seruitute gementium, et

quorum occupationes sordidas et illiberales iudicamus prae aliis artibus,
quae ministrae sunt voluptatum, vt, coquorum, fartorum,
vnguentariorum, saltatorum etc. Hospiti quidem hoc paulo post, sed sub
fide silentii exposui, verens, ne nimis sinistra iudicia de genere humano
ferrent subterranei. Silentium ille pollicitus, ad auditorium me, vbi
habenda esset oratio funebris, secum duxit. Fateor, nil vnquam me
solidius, veracius, et ab omni adulationis specie magis immune audiuisse:
41 et visa mihi haec parentatio exemplar, ad quod omnes eiusmodi orationes
exprimi deberent. Orator primo conspectum |dedit virtutum defuncti,
moxque vitia ac infirmitates enumerauit, monendo auditores, vt ab hisce
sibi cauerent. Redeuntibus ex auditorio obuius fit noxius quidam, tribus
custodibus stipatus. Idem nuper ex iudicis sententia poenam brachii (ita
vocant venae sectionem) subierat, iam vero in nosocomium vrbis
publicum trudendus. Quaerenti damnationis causam, respondetur,
eundem publice de qualitatibus ac essentia Dei disputasse; id quod
prohibitum in his terris, vbi curiosae eiusmodi disputationes temerariae
adeo ac stolidae censentur, vt in compositae mentis creaturas cadere
nequeant. Solitum est igitur subtiles hos disputatores, tanquam insanos,
post venae sectionem in ergastula publica compingere, donec delirare
cessant. Hinc tacite mecum: “hei! *quid de Theologis nostris* hic fieret?
quos quotidie de qualitate et attributis Numinis, de natura spirituum, et
id genus aliis mysteriis rixantes cernimus. Qualis sors esset Metaphysicis
nostris, qui transcendentalibus suis studiis superbientes, supra vulgus
42 sapere, imo Diis se proximos credunt? Certe pro laureis, birretis, pileis
|Doctoralibus, quibus in terris nostris decorantur, iter sibi panderent ad
ergastula, aut nosocomiorum candidati fierent.”

Haec & alia, quae valde paradoxa mihi visa sunt, tempore tyrocinii notabam. Aderat tandem mandato Principis definitum tempus, quo e Gymnasio in aulam cum testimonio dimittendus essem. Splendida mihi encomia et niueos calculos pollicebar, fretus qua propriis virtutibus, cum linguam subterraneam exspectatione celerius didicissem, qua hospitis mei fauore, ac iudicum decantata integritate. Tandem traditum mihi est testimonium, quod prae gaudio tremens aperui, auidus laudes meas legendi, exindeque, qualis sors mea foret, noscendi. At lectio eiusdem in iram et desperationem me coniecit. Literae commendatitiae his verbis conceptae fuerunt:

“Mandato Serenitatis vestrae obsequentes, instructum solicite in Gymnasio nostro dimittimus animal nuper ad nos ex alio orbe delatum, hominemque se nuncupans. Perspecto penitius eiusdem ingenio, ac
43. moribus exploratis, |docilem satis ac promptissimae perceptionis offendimus, sed obliqui adeo iudicii, vt ob ingenium nimis praecox, vix ad creaturas rationales referri, nedum ad munus aliquod momentosum admitti queat. At, cum pernicitate pedum nobis omnibus sit praestantior, cursoris aulici officio fungi strenue poterit. Datum ex Seminario de Keba,] Keba,. *A* mense Veprium, a Serenitatis Vestrae seruis humillimis,”

Nehec. Iochtan. Rapasi. Chilac.

In lacrimas hinc effusus hospitem meum adibam, humillime obsecrans, vt, auctoritate sua interposita, clementius testimonium a *Karattis* extorqueret, vtque monstraret iisdem testimonium meum Academicum, in quo ingeniosus et optimae notae ciuis salutor. Regessit ille, testimonium istud in nostro orbe suo stare pretio, vbi forsitan maior vmbrae quam corporis, maior corticis quam medullae habeatur ratio, sed nullius hic esse ponderis, vbi in viscera rerum penetratur: hortatur porro, vt sortem meam patienter feram, maxime cum testimonium rescindi aut
44. mutari nequeat. Nam nullum hic gra|uius crimen esse virtutum immeritarum praeconio. Vulneri tamen fomentum aliquod admoturus,

– – verba facit, quibus hunc lenire dolorem
Possit, et ingentem morbi partem remouere:
Ne cures haec, quae stulte miraris et optas.
Quos non praecipitat subiecta potentia magnae
Inuidiae? mergit longa atque insignis honorum
Pagina: namque homini, nimios qui captat honores,
Et nimias venatur opes, numerosa parantur
Excelsae turris tabulata, vnde altior illi
Casus, et impulsae praeceps immane ruinae.

Porro addidit; nihil tale in tenui aut mediocri fortuna metuendum. Quod vero ad testimonium *Karattorum* attinet, illud confirmat, oculatissimos simul ac integerrimos esse iudices, qui nullis neque donis corrumpi, neque minis deterreri possunt, vt vnguem latum a vero deflectant;
45. qua|propter in hac etiam causa nullum esse suspicioni locum. Candide tandem ipse fassus est, iam dudum innotuisse sibi imbecillitatem iudicii

mei, ac statim e memoriae meae vbertate, et celeri apprehensione iudicasse, lignum me non esse, ex quo Mercurius fieri posset, ac proinde ob insignem iudicii eclipsin amplo alicui muneri non suffecturum. Didicisse se, ait, e narrationibus et descriptione gentis Europaeae, me

Stultorum in patria, prauoque sub aëre natum.

Caetera de amicitia sua prolixe testatus, itineri vt absque mora accingerer, me hortatus est. Consilium prudentissimi viri secutus sum, in primis cum ita postularet necessitas, et temerarium mihi videretur, mandato Principis obniti.

In iter igitur me coniicio, comitantibus nonnullis arbusculis, quae simul mecum a seminario dimissae, eundem in finem ad regiam vrbem ablegantur. Dux itineris erat senior quidam e numero *Karattorum*, siue ephororum, qui, cum aetate confectus, pedum vitio laboraret, tauro
46 vehebatur. Nam insolitum hic est ve|hiculis vti, et soli hoc senes decrepiti siue aegroti priuilegio gaudent, quamuis nobis excusatiores essent huius planetae incolae ob difficultatem et tarditatem incessus. Memini, cum descriptionem semel fecissem vecturarum nostrarum, equorum scilicet, quadrigarum et pyxidum, in quas sarcinarum instar compacti, per vrbem vehimur, ad hanc meam narrationem subridere subterraneos, maxime cum audirent, e vicinis alterum inuisere alterum non solere, nisi plaustro vel pyxidi inclusum, et a duobus ferocissimis quadrupedibus per vicos ac plateas abreptum. Ob tarditatem incessus, qua laborant] *A B;* laborent *SS* arbores hae rationales, triduum huic itineri insumere cogebamur, quamuis *Keba* ab vrbe principali vix spatio quatuor milliarium dirimatur. Nam si solus fuissem, vna die iter hoc explicuissem. Gaudebam equidem, pedum beneficio me subterraneis longe praestare, sed dolebam simul, ob istam corporis praestantiam, ad vile et abiectum ministerium proscriptum iri. *Vellem me*, dixi, *eodem pedum vitio, quo subterranei laborare; cum*
47 *hoc solo defectu euitarem destinatum mihi seruile et ignobile |munus.* Quo audito, Dux noster: *si hac*, ait, *corporis praestantia natura non quodammodo compensasset animi tui defectus, tanquam inutile terrae pondus te omnes intueremur; Ob ingenii enim velocitatem sola rerum putamina, non nucleos vides; & cum duo tantum rami tibi sint, in quouis opere manuario subterraneis longe inferior es*] *A,* inferiores *B* . Haec omnia cum audiuerim, gratias Deo egi ob pedum praestantiam, cum absque hac virtute me inter creaturas rationales locum vix habiturum viderem.

Iter faciens non sine admiratione videbam, incolas labori adeo intentos, vt ad adspectum praetereuntium, quamquam insolitum esset spectaculum, nemo labores intermitteret, aut lumina circumferre dignaretur. At finito die, laboribus solitis defuncti, ludis ac omnimodis animi remissionibus vacant, conniuente summo Magistratu, qui ludos hos corporum ac animorum fulturas existimans, creaturas iudicat, iisdem non minus ali, quam cibo et potu. His et aliis de causis iter hoc summa cum animi voluptate confeci. Regionis forma pulcherrima est. Imaginare amphitheatrum aliquod, et quale sola rerum natura possit effingere. Vbi
48 na|tura minus prodiga fuerat, suppleta omnia erant arte incolarum, qui, positis a Magistratu praemiis, ad rusticos labores et agros colendos ornandosque acuebantur, qui vero agrum sordescere patiebatur, aerarius fiebat. Peragrauimus multos spectabiles vicos, qui ob frequentiam, vnius perpetuae et contiguae vrbis conspectum dant, vnamque faciem longe lateque contexunt. Infestabamur tamen nonnihil a simiis quibusdam syluestribus, quae viis passim inerrantes, me, quem ob affinitatem formae gentilitium credebant, crebris assultibus vellicabant. Hinc iram et indignationem supprimere non poteram, maxime cum viderem, scenam hanc risus materiam arboribus dare: nam ad aulam ducebar, cum ita iusserat Princeps, eodem habitu, quo in planetam hunc delatus fueram, harpagonem scilicet dextra tenens, quo perspiceret, qualis esset orbis nostri ornatus, et quo apparatu huc primum appulissem. Et commode tunc ad manum erat harpago, quo simias cateruatim ingruentes in fugam mittere conabar, quamuis frustra; nam in fugientium locum plures successerunt, adeo, vt quouis momento gradum praeliantis componere cogerer.

49 |

CAPVT IV.
AVLA PRINCIPIS POTVANI.

Tandem ad vrbem regiam *Potu* ventum est. Magnifica quidem ac speciosa vrbs est. Ædificia ibi porrectiora sunt *Kebanis*, strataque magis patula et commodiora. Primum, ad quod delati sumus, forum ingenti mercatorum copia erat frequens, artificumque et opificum tabernis

vndique cinctum. Videbam attonitus in medio fori noxium quendam, collo in laqueum inserto stantem, et ingenti grauissimarum arborum corona, quae speciem senatus praebuit, circumdatum. Quaerenti mihi, quid rei esset, ac quam ob noxam suspendium meruisset,] meruisset *A B;* meruisset, *Elberling,* meruisset *SS* in primis cum nullum crimen in his terris sit capitale? respondetur, reum hunc esse nouatorem (Proiect-Macher) qui abrogationem veteris cuiusdam consuetudinis suaserat, circumstantes esse iureconsultos et senatores, qui nouum commentum more solito
50 examinarent, ita vt, si bene |digestum, ac reipublicae salutare
deprehensum foret, reus non modo absoluendus, sed et remunerandus esset; si vero damnosum publico, aut si nouator ad proprium commodum ista legis antiquatione collineare videretur, gula eiusdem, vti reipublicae perturbatoris, mox laqueo frangeretur. Et haec est causa, cur pauci hanc aleam iacere, aut legis cuiusdam abrogationem suadere audeant, nisi res adeo aequa sit ac liquida, vt de successu dubitari nequeat. Adeo existimant subterranei, seruandas esse leges veteres, et maiorum instituta in honore habenda; credunt quippe nutare rempublicam, si ad cuiusuis libidinem mutentur aut antiquentur. Tunc ego mecum: “Hei! quid de nouatoribus nostri orbis hic fieret, qui sub specie publicae vtilitatis quotidie nouas meditantur leges, non statui publico, sed priuatis quaestibus ancillantes.”

Tandem in spatiosam domum introducimur, solitum iis receptaculum, qui e seminariis totius Principatus emancipantur. Ex eadem domo
51 educuntur Principi sistendi. Dux noster, siue *Karatti*, |accinctos nos stare
iubet, dum digrediatur, aduentum nostrum Principi nunciaturus. Vix egressus erat ille, cum ingens aures nostras ferit clamor, qualis triumphantium esse solet, mox tibiarum sonitu ac tympanorum strepitu omnia personabant. Excitati ad hunc strepitum, et foras egressi, conspicamur arborem quandam, magnifico comitatu incedentem, coronaque e floribus contexta redimitam, moxque patuit, eundem esse ciuem, quem collo in laqueum inserto stantem nuper in foro videramus. Causa triumphi erat approbatio legis, quam capitis periculo suaserat. At quibus argumentis veterem ille legem impugnauerit, non mihi innotuit, nec vllo modo ad notitiam meam peruenire potuit ob taciturnitatem incolarum, qua fit, vt minima res, quae ad statum publicum pertinet, aut in Senatu peragitur, plebem lateat; aliter ac fieri solet apud nos, vbi Senatusconsulta et consiliorum conclusa in cauponis ac triuiis postridie

narrantur, discutiuntur, notantur. Post vnius horae intercapedinem reuertitur *Karatti*, nosque omnes sequi se iubet. Dicto nos audientes
52 ducem sequi|mur. In itinere nostro passim occurrebant arbusculae, quae venales offerebant impressos de rebus curiosis ac memorabilibus libellos. In ista libellorum farragine conspicabar forte opusculum, cui titulus erat: *De nouo et insolito Phaenomeno, siue Dracone volante, qui anno superiore apparuit*. Videbam me ipsum, qualis eram, cum circa planetam cum harpagone et syrmate funis volutarer, aeri incisum. Vix risum eo aspectu continere poteram, et tacite mecum dicebam:

> *Hei qualis facies, et quali digna tabella!*

Empto tamen libro tribus *Kilac*, qui duobus solidis nostrae monetae aequiparari possunt, risum compressi, iter tacite persecutus ad regiam. Hanc ars potius ac nitor commendant, quam atria

> – – – – *Regali splendida luxu*
> *Aut picturata lucentia marmora vena.*

Paucos tantum conspicabar aulicos siue apparitores; nam temperantia Principum omne, quod superfluum est, proscribit. Nec opus hic est tot ministris, quot poscunt aulae nostri orbis; nam quot rami his arboribus erant, tot brachia, adeo vt |labores manuarii, ac ministeria oeconomica
53 triplo vel quadruplo citius expediri possint.

Hora prandii erat, cum aulam Principis intrauimus. Et cum seorsum mecum loqui desiderauerat Serenitas sua, antequam accumberet, solus in diaetam intromittor. Erat in hoc Principe insignis clementiae ac grauitatis mixtura. Tanta eiusdam erat constantia, vt serenitas oris vultusque nulla aegritudine posset obnubilari. Viso Principe, in genua mox procubui. At ad adorationem hanc stupebant circumstantes, et cum causam, cur genua flecterem, roganti Principi indicassem, surgere me iussit, dicens, talem cultum soli Numini deberi: addit porro, sola obedientia, labore ac industria hic fauorem Principis obtineri. Postquam surrexeram, variae mihi quaestiones datae; et primum

> *Qua veniam, causamque viae nomenque rogatus*
> *Et patriam: Patria est, respondeo, grandior orbis,*
> *Klimius est nomen; veni nec puppe per vndas,*
> 54 |*Nec pede per terras; patuit mihi peruius aether.*

Pergit ille quaerere de rebus, quae in itinere euenerant, de nostri orbis moribus ac scitis. Pathetice tunc exposui hominum virtutes, ingenia, vrbanos mores & alia, quibus genus humanum maxime superbire solet. Sed narrationem hanc frigide excepit, ac ad nonnulla, quae maximam admirationem mea opinione ciere debuissent, oscitauit. Tunc ego mecum: *Hei! quam varii sunt mortalium gustus! quae nos maxime afficiunt, hisce nauseam mouent*. Maxime vero aures Principis offendere videbam id, quod de modo procedendi in iure, de aduocatorum nostrorum eloquentia, et de iudicum in sententia dicenda celeritate exposui. Conabar hoc paulo explicatius reddere, sed loquentem interpellans ad alia digressus est, tandemque de cultu ac religione nostra sciscitari coepit.] coepit *A* Explicui tunc breuiter omnes fidei articulos, ad quorum recitationem nonnihil ex rugis remisit, testans, vnicuique se haud inuitum subscribere posse, tantum miratur, gentis iudicii expertis] expertae *A B;* expertis *Elberling,* expertae *Kragelund (vide comm.)* sana adeo de Deo eiusdemque cultu esse
55 |principia. At cum mox audiret, christianos in sectas innumeras esse diuisos, ac ob istam in fide discrepantiam in propria viscera armari: “Apud nos, ait, etiam variae de rebus ad cultum diuinum pertinentibus sunt dissentientes sententiae; at alter alterum proinde non persequitur. Nam omnis persecutio ob res theoreticas, aut errores, e sola perceptionis varietate orientes, non nisi a fastu oritur, cum alter altero perspicaciorem se stolide autumat: qui fastus vix placere poterit Deo, modestiae ac humilitatis commendatori. Nemini, ait, qui bona fide in theoreticis a recepta opinione aberrat, circulos iudicii turbamus, modo in practicis, quae cultum Numinis spectant, consentiat, ac in eo vestigia premimus decessorum nostrorum, qui inhumanum existimarunt, iudiciis creaturarum compedes iniicere, ac in conscientias dominari. Huius quoque regulae obseruantiam in rebus politicis solicite commendamus, ita, si subditorum variae sint opiniones de corporis nostri forma, de vitae genere, de oeconomia, et id genus aliis, iidem vero agnoscant me
56 legitimum |Principem, cui obsequium debetur, cunctos existimo bonos esse ciues.” Respondebam ad haec: *Serenissime Princeps! istud apud nos dicitur Syncretismus, maximeque a literatis nostris improbatur*. Non dedit mihi spatium plura loquendi; nam subiratus mox abiit, iubens vt manerem, donec prandium finitum esset.

Ad mensam sedebant ipse Princeps cum serenissima eiusdem coniuge, item Filius Principis cum magno Cancellario siue *Kadoki*. Idem

Kadoki ob morum vrbanitatem ac prudentiam circumspectam maximi inter *Potuanos* nominis erat. Per integros viginti annos nullam in senatu sententiam tulerat, cui caeteri non suffragati erant, nihil in rebus publicis statuerat, quod non inconcussum steterat, dictaque eius totidem erant axiomata. At perceptionis adeo tardae simul erat, vt ad minimum edictum concipiendum 14 dierum spatium stipulari soleret. Hinc si in nostrum orbem delatus foret, vbi cunctatio omnis desidiae ac ignauiae nomen
57 accipere solet, parum idoneus rebus alicuius ponderis esset iudicandus. At, cum quicquid perciperet, penitus perspiceret, |nihilque, nisi praeuio ac graui examine adhibito statueret, dici poterat plura fecisse, quam decem ex iis, qui prompte et celeriter negotia obeunt, ac vulgo magna ingenia dicuntur, quorum acta reformari, mutari ac limam saepius subire solent, adeo vt, tempore ministerii exacto, nihil non tentatum, sed nihil simul peractum cernere liceat. Inter apophthegmata igitur aulae huius insigne est istud, nempe eos, qui prompte nimis munera obeunt, comparari posse cum otiosis ambulatoribus, qui progrediendo, retroëundo eandem semitam terunt, mouendoque nihil promouent.

Postquam accubuerat tota serenissima Domus, intrat virgo octo ramorum cum totidem patinis et orbibus, adeo vt momento citius tota quadra ferculis instruatur. Secuta mox alia arbor cum octo lagenis diuersi generis musto aut succo impletis. Huic erant nouem rami, quocirca ministeriis domesticis aut oeconomicis aptissima iudicabatur. Sic a duabus solis ministris, commode peragitur id, quod ab integris
58 ministrantium cohortibus effici nequit in aulis terrestribus. Eadem, |qua apposita erant, dexteritate fercula etiam auferuntur. Prandium frugi erat, sed simul nitidum. Ex appositis ferculis vno tantum, quod maxime ad palatum erat, vsus est Princeps; aliter ac diuites nostri orbis, qui lautam negant coenam, nisi ablatae patinae alia melior atque amplior succenturietur. Dum prandebant, varii de virtutibus ac vitiis, item de rebus politicis sermones serebantur, adeo vt voluptates studiis condirentur. Mei quoque mentio identidem facta est, quem ob celeritatem apprehensionis credebant lignum esse, e quo vix Mercurius] *A,* mercurius *B* fieri posset.

Postquam exempta fames epulis, mensaeque remotae,

testimonium meum exhibere iubeor. Quo perlecto, in pedes meos oculos coniiciens Princeps, recte ait iudicasse *Karattos*, et fieri ita debere. Hoc

responso tanquam fulmine percussus, manantibus vbertim lacrimis,
petebam reuisionem actorum, cum, virtutibus meis et ingenii dotibus
59 penitius examinatis, longe clementius sperarem iudicium. Princeps, vt
erat clemens ac |aequus, ob molestum et insolitum hoc postulatum, mihi
non succensens, nouum et curatius examen praesenti *Karatto* iniungit.
Durante hoc tentamine, paulum secessit] *B,* seces sit *A* , caetera perlecturus
testimonia. Digresso Principe, *Karatti* nouas mihi quaestiones proposuit
soluendas. Respondebam ego solita mea celeritate, quam miratus ille:
Celeriter quidem, ait, *rem capis, sed iugulum rei non arripis; indicant
enim solutiones tuae, quaestionem potius prompte perceptam, quam
recte perspectam*. Finito tentamine, principis diaetam intrat, moxque
reuertitur cum sententia huius tenoris: male me ac imprudenter fecisse
reuocando in dubium *Karattorum* iudicium, ideoque eam me poenam
incurrisse, quam temere calumniantibus dictitat legis spatii quarti
maioris spatium tertium minus (per spatia maiora et minora, siue *Skibal*
et *Kibal* intelligunt libros et capita) ac meruisse me venae sectionem more
maiorum pati ambobus meis ramis siue brachiis, ac ergastulo publico
60 includi. Verba Legis libr. 4. cap. 3. de Calumniis haec sunt: *Spik. antri.
Flak. Skak. mak. Tabu Mihalatti Silac*. At quamuis euidens sit |verborum
sensus, et sanctio legis nullam exceptionem patiatur, decreuisse tamen
Serenitatem suam grauissimum hoc delictum peculiari gratia, qua ob
animi praecocis vitium, qua ob ignorantiam legis mihi ignoscere, cum
peregrino et nouo hospiti noxa absque legis violatione remitti
quodammodo posset. Tandem, vt eo maiorem in me testaretur fauorem ac
beneuolentiam, locum mihi dedisse inter cursores aulicos ordinarios, quo
fauore acquiescere me debere.

Hac dicta sententia, arcessitur *Kiua* siue secretarius, qui me cum
caeteris nuper aduenientibus candidatis in album promouendorum
inferret. Idem secretarius vir erat egregiae formae, vndecim scilicet
ramorum, ideoque vndecim simul epistolas eadem, qua nos facilitate
vnam solam scribimus, exarare poterat; mediocris tamen iudicii erat,
quam ob causam ad maiora ascendere nequiret, sed in eodem officio,
quod triginta fere annos exercuerat, consenescere cogeretur. Is vir erat,
quocum postea coniunctissimus viuebam, quemque maxime colere
61 debebam, cum copias edictorum aut epistolas |scriberet, quas cursor ego
per prouincias disseminarem. Obstupui saepe, cum viderem, qua
dexteritate spartam impleret, cum haud raro vndecim exemplaria eodem

tempore scriberet, iisdemque simul totidem sigilla imprimeret. Igitur
inter res maxime prosperas in familiis numerantur partus multorum
ramorum. Hinc mulieres puerperae, postquam foetus feliciter sunt
enixae, vicinis notum facere solent, quot ramis in lucem prodierint
infantes. Fama hic erat, patrem secretarii nostri duodecim ramos
habuisse, totumque eius genus pluralitate ramorum prae aliis celebre.
Accepto meo diplomate, cum inter cursores Principis ordinarios receptus
fuissem, cubitum iui; sed, licet valde fessa essent membra, maximam
tamen noctis partem pervigil oculos frustra in somnum orabam. Nam
animo continue oberrauit ignobile, ad quod damnatus eram, ministerium,
et indecorum ac turpe videbatur Ministerii Candidato ac Baccalaureo
62 magni orbis, vilem agere cursorem subterraneum. In tristi ista imagine
magnam noctis partem vigil exegi, et in hoc aestu legebam et relege|bam
testimonium meum academicum, quod mecum asportaueram (nam antea
notaui diem ac noctem hic parum differre). Tandem his curis et
cogitationibus fessum altus sopor oppressit. Variae tunc quiescenti
occurrebant imagines. Videbar in patriam redux, popularibus, quae in
itinere subterraneo acciderant, ad rauim vsque exponere: mox aëriam
nauigationem mihi fingens, cum toruo alite rem habebam, qui tantum
mihi negotium facessebat, vt somnus praelianti tandem excuteretur. At
euigilans cum horrore conspicabar lecto adstantem eximiae magnitudinis
simiam, quae per ianuam cubiculi, non satis solicite clausam intrauerat,
ac in cubile irrepserat. Istud improuisum phaenomenon tantum mihi
terrorem incussit, vt ingenti vociferatione, qua tota camera exsonuit,
auxilium implorarem. Excitatae hoc strepitu arbusculae quaedam, quae in
cubiculis meo contiguis cubabant, intrant, luctanti mihi cum simia in
auxilium veniunt, foedumque istud animal foras eiiciunt. Audiui, mox
fabulam hanc Principi largam risus materiam praebuisse. At, ne in
63 eundem casum saepius reciderem, |iussit illico me more subterraneo
vestiri, ramisque exornari. Vestes vero Europaeae, quas adhuc
portaueram, mihi ademptae, ob insolentiam suspensae fuere in cimelio
Principis cum hoc epigrammate: CVLTVS CREATVRAE SVPERTERRANEAE.
Hinc ego mecum: “Quid si sartori Bergensi Iano Andreae vestium harum
formatori innotesceret, opificia sua inter cimelii subterranei rariora
asseruari? fastu sine dubio intumesceret, vixque posthac ipsis consulibus
aut vrbis centurionibus cederet.”

Post hunc casum reliquum noctis insomne egi vsque ad solis ortum. Tunc surgenti affertur diploma, quo cursoris ministerium mihi iniunctum fuerat. Innumera mox dabantur negotia peragenda, perpetuumque eram mobile, ad vrbes minores ac maiores edicta ac literas publicas perferens. In hisce expeditionibus meis indolem huius gentis curiosius scrutatus, miram in plerisque detegebam vrbanitatem ac raram sapientiam. Soli incolae ciuitatis *Maholki*, qui omnes vepres sunt, parum culti ac morati
64 mihi videbantur. Quaeuis enim prouincia suis pe|culiaribus gaudet arboribus siue incolis; id quod maxime patet e gente rustica siue agricolis, qui omnes indigenae sunt: Nam in magnis ciuitatibus, praesertim in vrbe regia, colluuies erat omnium arborum. Creuit ista, quam de prudentia incolarum huius principatus conceperam, opinio, prout virtutes eorum penitius inspiciendi data est copia. Leges et consuetudines, quas maxime improbaueram, maxime mox ob aequitatem ac iustitiam laudabam, verso in admirationem contemptu. Haud difficile mihi foret integrum exhibere indicem rerum ac consuetudinum, quae leuiter intuenti stultae, curiosius vero rimanti solidae ac prudentes visae sunt. E sexcentis vnum tantum afferam exemplum, quod characterem huius gentis graphice exprimit. Rectoratum scholae cuiusdam cum ambiret Philologiae studiosus, petitio eiusdem tali munita erat commendatione: testabantur nempe ciues vrbis *Nahami*, candidatum in coniugio cum lasciua ac infida vxore integros quatuor annos placide vixisse, ac cornua sua patienter gessisse. Testimonium his fere verbis conceptum erat:

65 | “Cum testimonium vitae et morum a tribulibus petierit doctus ac venerandus vir *Iocthan Hu*, testamur nos ciues] *A B;* ciues, *SS* habitantes in vico siue regione vrbis *Posko*, integrum quadriennium eundem in matrimonio cum infida coniuge absque vllo strepitu vixisse, cornua sua patienter gessisse, ac tanta moderatione animi istud malum pertulisse, vt dignissimum scholae vacantis Rectorem, modo studia moribus respondeant, fore ominemur. Datum die decimo mensis Palmae 3000*mo* anno post magnum Diluuium.”

Isti tribulium commendationi annexum erat testimonium a seminarii *Karattis* de doctrina ac studiis eiusdem, quod magis ad rem facere videbatur; nam quodnam esset meritum cornuti ludimagistri prae aliis Doctoribus, haud facile capiebam. At paradoxi huius testimonii hic erat sensus: Inter virtutes, quae Doctorem maxime commendant, est moderatio; namque hic, nisi ferrea praeditus sit patientia, cum toto

66 eruditionis suae apparatu parum aptus erit muneri scholastico, quod absque seueritate ac iracun|dia sit exercendum, ne intempestiuis suis castigationibus iuuenum animi exasperentur. Iam cum maius moderationis exemplum vix dari potest ista, qua insigne adeo malum domesticum pertulerat candidatus, ita vicini supplicantis non dubitarunt huic maxime argumento insistere, vt exinde euincerent, quid sibi polliceri] *A,* pollicere *B* possent a ludimagistro, hac virtute inter alios conspicuo. Dicitur ad insolitam hanc commendationem impense risisse Principem; at cum non plane absurdam iudicauerit, in petitorem vacantem contulit Rectoratum: et constat, spartam hanc tanta dexteritate eundem implesse, ac tyrones moderatione et clementia adeo sibi deuinxisse, vt potius tanquam parentem, quam scholae moderatorem, eundem intuerentur, tantoque in literas sub ephoro adeo miti ac moderato ferebantur studio, vt paucae in toto principatu hodie dentur scholae, e quibus tot praeclarae, eruditae ac bene moratae arbores quotannis dimittuntur.

Quoniam quadriennii tempore, quo ministerium cursoris obibam,
67 occasionem nactus sum scrutandi tam ingenium huius |terrae, quam indolem ac mores gentis, eiusdem politiam, sacra, leges ac studia, legentibus spero non ingratum fore, si, quae sparsim in hoc opere reperiuntur, hic vno veluti fasce complectar.

CAPVT V.
NATVRA TERRAE POTVANAE ET GENTIS INDOLES.

Principatus *Potuanus* terminis admodum exiguis clauditur, ac modicam tantum partem huius globi perreptat. Totus globus *Nazar* dictus in circuitu vix ducenta milliaria germanica complectitur. Potest commode circumiri a quouis viatore absque itineris duce; nam vna est vbique eademque lingua, licet a reliquis rebuspublicis ac principatibus] principatibus, *A B;* principatibus *Elberling,* principatibus, *SS Kragelund* scitis ac moribus valde differant *Potuani*. Et velut in orbe nostro Europaei inter alias gentes eminent, ita

hi, scilicet Potuani, inter reliquos huius globi incolas, virtute ac prudentia
68 maxime sunt conspicui. Itinera |passim lapidibus distinguuntur, qui
milliaria notant, et aut manus habent porrectas, aut alia signa, quae ad
quamuis vrbem ac vicum semitas monstrant. Totus principatus vicis ac
splendidis vrbibus frequens est. Illud sane memorabile et admiratione
dignum est, quod cuncti huius globi incolae eadem lingua loquantur,
quamuis singulae gentes sorte, moribus, scitis ac ingenii dotibus, ita
discrepent, vt orbis hic maxime perspicuam exhibeat imaginem
varietatum, quibus laetatur natura, eoque intuitu viatores non tam afficit,
quam percellit, ac in ecstasin paene coniicit.

Dirimuntur terrae aquis tam maioribus quam minoribus, quas secant
naues, remis, virtute quasi magica,] magica *A B;* magica, *Elberling Kragelund,* magica *SS*
impulsae; nam non lacertis, vti nostrae, sed machinis, automatorum
instar, aguntur. Machinarum harum indolem et artificium definire
nequeo, cum in mathesi parum versatus sim: huc adde, quod arbores hae
tanta subtilitate omnia comminiscantur, vt nemo, nisi Argo sit oculatior,
et diuino paene acumine praeditus, artificium detegere queat. Globus,
69 instar terrae no|strae, triplici gaudet motu, adeo vt tempora hic, non
secus ac apud nos, nocte, die, aestate, autumno, hieme ac vere
distinguantur, locique sub polorum cardinibus siti caeteris sint
frigidiores. At quod ad lumen attinet, parum est discriminis inter noctes
diesque, ob causas, quas nuper exposui. Et dici potest nox quodammodo
gratior die; nam nihil fingi potest splendidius lumine isto, quod a sole
receptum in planetam hunc reflectit ac reuerberat hemisphaerium siue
compactum firmamentum, speciem contiguae et immensae lunae longe
lateque contexens. Incolae constant e diuersi generis arboribus, velut
quercubus, tiliis, populis, palmis, vepribus etc. vnde nomina sortiuntur
sedecim menses, in quos annus subterraneus describitur. Nam quouis
decimo sexto mense ad sedis suae principia regreditur *Nazar*, non tamen
stato die, idque ob motum inaequalem; quippe non secus ac luna nostra
multiformi ambage ingenia torquet eorum, qui firmamentum inhabitant.
Annorum epochae sunt variae, et figuntur a rebus maxime
70 memorabilibus, in primis ab ingenti |cometa, qui ter mille abhinc annis
diluuium vniuersale creditur excitasse, quo submersum fuit totum
arboreum genus cum caeteris animantibus, exceptis tantum paucis, qui in
collibus ac montium cacuminibus commune naufragium effugerunt, et ex
quibus praesentes incolae descendunt. Terra frugum, herbarum ac

leguminum feracissima, eosdem fere omnes producit fructus, quos gignit
Europa nostra: auenam tamen non patitur, nec opus ea est, cum equos hic
globus non ferat. Maria ac lacus pretiosos pisces suggerunt, ac litora
ripasque ornant varietate gratissima nunc continua nunc intermissa
villarum tecta. Succus, quem bibunt, e certis elicitur herbis, quae cunctis
anni tempestatibus virent. Succi huius venditores vulgo dicuntur
Minhalpi, id est, herbicoctores, qui in quauis ciuitate ad certum numerum
restringuntur, quique soli gaudent priuilegio herbas coquendi. Qui hoc
priuilegio donati sunt, ab omni alio ministerio, quaestu ac opere
manuario abstinere iubentur. In primis cautum est, ne ii, qui in officiis
71 sunt, et publicis stipendiis fruuntur, hos |quaestus exerceant; quoniam hi
ob auctoritatem, qua in ciuitate pollent, omnes attrahant emptores, ac ob
alia, quibus fruuntur, emolumenta res viliori pretio vendere queant, vti
saepe fieri cernimus in orbe nostro, vbi officiales ac stipendiarii his
mediis, aliorum opificum ac mercatorum coriis breui ditescunt.

Incolarum multitudinem mire promouet lex salutaris de procreanda
sobole. Nam, pro numero liberorum, augentur aut minuuntur beneficia
aut immunitates. Et qui sex liberorum pater est, tributis tam ordinariis
quam extraordinariis eximitur. Hinc procreatio sobolis et copia liberorum
hic non minus salubris censetur, quam in nostro orbe, vbi capitibus
liberorum imponi solet tributum, incommoda sit ac damnosa. Nemo in
hoc orbe duo simul munera exercet, credunt nempe, minimam
occupationem totum poscere virum. Hanc ob causam, pace dicam
incolarum nostri orbis, munera rectius et melius administrantur, quam
apud nos. Sancta adeo est huius legis obseruantia, vt Medicus non in
72 totam medicinam se diffundat, sed vnius tantum morbi natu|ram solicite
scrutetur; Musicus vni soli instrumento operam det: aliter ac in orbe
nostro, vbi varietate officiorum humanitas infringitur, morositas augetur,
munera negliguntur, et nusquam solemus esse, quia vbique. Ita Medicus,
dum morbis corporis humani ac vitiis reipublicae simul medeatur, labitur
in vtroque. Ita a musico, si citharoedum ac senatorem simul agit, non nisi
dissonantia sunt exspectanda. Admiratione nos illos prosequimur, qui
varia simul officia obire non verentur, qui maximi momenti rebus vltro se
ingerunt, ac nulli officio se impares existimant. At sola est audacia, ac
virium propriarum ignorantia, quam stulte admiramur; quippe, si
negotiorum pondera ipsis essent perspecta, sique modulum virium
noscerent, oblatos vltro fasces remitterent, ac ad solum nomen tremerent.

Nemo igitur hic inuita Minerua aliquid suscipit. Memini] *A,* Nemini *B* de hoc praecepto dissertantem me audire illustrem Philosophum *Rakbasi*, et
73. quidem hunc in modum: “Suum quisque noscat ingenium, acremque se et vitiorum et bonorum suorum iudicem praebeat, ne sce|nici plus, quam nos, videantur habere prudentiae; illi enim non optimas sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt. An histrio hoc videbit in scena, quod sapiens non videbit in vita?”

Incolae huius principatus in nobiles et plebeios non sunt diuisi. Obtinuit quidem olim haec ordinum distinctio. At, cum obseruauerint Principes, exinde semina discordiarum spargi, omnem, quae natiuitatem sequitur, praerogatiuam] sequitur praerogatiuam, *A B;* sequitur, praerogativam *Elberling Kragelund,* sequitur praerogatiuam, *SS* prudenter sustulerunt, adeo, vt e sola virtute, muneribus et occupationibus aestimentur arbores; id quod alibi explicatius reddam. Sola, quae natiuitatem comitatur, praeeminentia consistit in ramorum multitudine; nam pro eorundem copia aut defectu nobilior aut ignobilior censetur foetus, quoniam copia ramorum arboribus habilitatem ad opera manuaria conciliat. De ingenio ac moribus gentis non pauca in antecessum sparsim attuli; quocirca remisso ad ea, quae superius dicta sunt, lectore, sectionem hanc claudo, ad alia progressurus.

74. |

CAPVT VI.
DE RELIGIONE GENTIS POTVANAE.

Systema religionis *Potuanae* paucis absoluitur capitibus, et continet breuem fidei confessionem, quae Symbolo nostro Apostolico paulo extensior est. Prohibitum hic est, sub poena relegationis ad firmamentum, in libros sacros commentari. Et, si quis disputare audeat de essentia et attributis Dei, de spirituum et animarum qualitatibus, ad venae sectionem damnatur, ac in nosocomium vrbis publicum truditur. Nam stultum aiunt ea describere ac definire velle, ad quae caligat mens nostra, non minus quam oculi noctuae ad lumen solis. Consentiunt omnes in colendo summo aliquo ente, cuius omnipotentia cuncta sunt creata, et cuius prouidentia eadem conseruantur. Si hunc cultum excipias, nemini ob

dissentientes sententias, modum cultus spectantes, molestia exhibetur;
75 tantum illi, qui palam impugnant religionem legibus |sancitam, vt pacis publicae turbatores puniuntur. Hinc liberum mihi erat religionis exercitium, et a nemine eo nomine infestabar. Preces *Potuanorum* rarae sunt, sed admodum ardentes, adeo, vt orantes, quamdiu durant preces, quasi in ecstasi esse videantur. Hinc cum narrarem, precari nos ac hymnos sacros canere ministeriis oeconomicis ac operibus manuariis occupatos, vitio id nobis vertebant Potuani, dicentes, Principem terrestrem aegre laturum, si quem videret suppliciter cum petitione se accedentem, ac simul in praesentia sua vestes verrentem aut capillos crispantem. Nec magis ad palatum illis erant hymni nostri sacri; existimabant nempe, ridiculum esse musicis modulis dolorem et poenitentiam exprimere, cum lacrimis et suspiriis, non modulis, tibiis ac tubis ira Dei flectitur. Haec et alia audiebam non sine indignatione, praesertim cum beatus parens meus Cantor olim Ecclesiae diuersos hymnos, qui hodieque celebrantur, modulis musicis aptauerat, ipseque vacantem quendam Cantoratum ambire decreueram. Sed iram
76 supprimere conabar: nam subterranei nostri |tanto acumine opiniones tuentur, et adeo speciose omnia exponunt, vt errores eorum vel maxime euidentes refellere in procliui non sit. Sunt et aliae circa sacra opiniones, quas eadem arte et sub eadem veritatis specie propugnant. Ita cum nonnullis eorum, quibuscum familiariter viuebam, saepe indicassem, nullam illis, quippe in tenebris versantibus, esse post mortem sperandam salutem, respondebant, seuere damnantem alios maximum damnationis periculum incurrere. Nam damnatio aliorum ex arrogantia plerumque nascitur, quam odit et in creaturis improbat Deus, humilitatis maximus commendator: aliorum iudicia damnare, et dissentientes ad suas opiniones vi adigere, idem esse, ac sibi solis omne rationis lumen arrogare; id quod stultorum est, cum solos hi se sapere credant. Porro cum semel opinionem quandam probaturus conscientiae meae fidem disputanti opponerem, laudat argumentum aduersarius, iubetque, pergerem conscientiae meae testimonium sequi; id quod se ipsum quoque semper facturum pollicetur; ita enim, vnoquoque in controuersiis conscientiae dicta|men sequente, cessaturas omnes lites, et omnem
77 disputandi materiam praecidendam. Inter alios errores, quos tuebantur huius principatus incolae, erant sequentes. Non quidem negabant, bona opera remunerari, ac mala a Deo puniri; sed non nisi in altera vita

iustitiam istam in praemiorum ac poenarum distributione exercendam iudicabant. Afferrebam ego varia eorum exempla, qui ob scelera et iniquitatem in hac vita poenas subierunt; at illi totidem allegabant opposita scelestissimarum scilicet arborum, quae impiae simul ac summe felices vsque ad obitum fuerunt: quoties, aiebant, cum aduersariis congredimur, e vitae communis pharetra sola ea tela desumimus, ac ad ea sola exempla attendimus, quae in vsum nostrum sunt, ac quae theses nostras corroborant, neglectis ac praetermissis iis, quae iisdem aduersantur. Adduxi ego proprium exemplum, monstrando non paucos, qui vim ac iniuriam mihi attulerunt, exitum funestum habuisse: regerebant ii, e philautia haec omnia proficisci, dum crederem, me in
78 oculis Dei maiorem ac praestantiorem esse aliis, qui, licet gra|uissimas immerito iniurias passi sunt, persecutores tamen suos in perpetua felicitate vsque ad obitum consenescentes viderunt. Porro, cum semel commendarem preces Deo quotidie faciendas, respondebant, nec se quidem precum necessitatem negare, sed persuasum sibi esse, pietatem et verum cultum maxime in obseruantia legis diuinae consistere. Haec vt probarent, a Principe vel legislatore tale argumentum mutuabantur; Princeps duplicibus imperat subditis; nonnulli quotidie peccant, ac mandata eiusdem siue infirmitate animi, siue malitia aut contumacia transgrediuntur: at in atrio Principis hi perpetuo cum supplicationibus ac deprecationibus versantur, petentes veniam criminum mox renouandorum. Alii vero raro et non nisi rogati in aulam veniunt, sed domi semper manentes, mandata Principis fideliter ac strenue exsequuntur, legisque obseruantia perpetua monstrant Principi debitam obedientiam. Quis dubitet, quin hos amore suo dignos iudicet; illos vero tanquam malos, inertes ac simul molestos subditos, intueatur, idque respectu qua transgressionum, qua crebrarum petitionum?

79 |Hisce et aliis disputationibus saepius exercebar, quamuis absque successu; nam neminem in sententiam meam pertrahere valebam. Hinc omissis caeteris religionis controuersiis, pergam exponere dogmata eorum generalia et notatu maxime digna, iudicio legentium relinquens, cretane an carbone sint notanda.

Credunt *Potuani* vnum Deum, omnipotentem, omnium creatorem et conseruatorem, monstrantque eiusdem omnipotentiam et vnitatem e rerum creatarum magnitudine et harmonia. Cumque sint Astronomiae ac Physices apprime gnari, de essentia et attributis Dei magnifice adeo

sentiunt, vt stolidum existiment, definire velle ea, quae captum nostrum transcendunt. Annus quinque festis diebus distinguitur: quorum primus summa cum religione celebratur locis obscuris, quo radii lucis penetrare nequeunt, vt monstrent numen, quod adorant, incomprehensibile esse. Iisdem in locis adorantes, tanquam extra se rapti, immobiles manent ab
80 ortu solis vsque ad eiusdem occasum. Festum hoc dicitur *dies incomprehensibilis Dei*, et incidit in primum |diem mensis Quercus. Reliqua quatuor festa quatuor anni tempestatibus habentur, et instituta sunt eum in finem, vt grates agantur Deo ob praestita beneficia. Pauci sunt in toto principatu, qui his sacris solennibus non intersunt. Qui absunt, ni sonticas absentiae causas dent, mali subditi existimantur, ac in perpetuo contemptu viuunt. Publicae precationum formulae ita conceptae sunt, vt non ipsos precantes, sed solum Principem ac reipublicae salutem spectent. Hinc nemo preces pro se ipso publice effundit. Scopus instituti est, vt credant *Potuani*, salutem singulorum cum salute reipublicae adeo arcte esse coniunctam, vt separari nequeat. Nemo ad cultum diuinum aut vi aut pecuniaria mulcta adigitur: nam cum pietatem maxime in amore consistere iudicent, cumque experientia doceat, amorem vi potius frigescere quam accendi, non solum inutile, sed etiam noxium credunt, flagris ad pietatem tepidos pellere velle. Thesin hanc tali exemplo
81 illustrant: Si maritus reciprocum a coniuge amorem postulans, teporem] *A,* temporem *B* aut frigus eiusdem fustibus ac pugnis expugnare |moliatur, tantum abest, vt his mediis amor accendatur, vt potius crescat frigus, et denique in odium et horrorem terminetur.] *A,* terminetur. Olim Sacrificiis, Spectaculis, aliisque ceremoniis Numen placabant Potuani. Obtinuit cultus iste externus usque ad tempora insignis Philosophi Limali, qui octingentis abhinc annis reformationem Potuanorum aggressus, librum edidit, cui titulus *Sebolac Tacsi* i.e. *Vera piæ arboris nota*. Libri huius iterata lectione satiari nunquam potui. Complectitur praecepta theologica et moralia, quae a Potuanis memoriter tenentur. Cur Sacrificia, et id genus alios ritus abolendos iudicauerit Doctor subterraneus, has affert rationes. Verae, ait, virtutes sunt, quarum exercitium corruptis cordibus, graue, arduum et ingratum est. At sacrificare; hymnos fundere, otiari, mortuorum cineres venerari; sanctorum imaginibus ornatos incedere, otia sacra potius sunt quam actiones; ac, si actiones dici merentur, eae sunt, quas impii quoque, cum molestae ac arduae non sint, sponte exercent. Verum facultatibus suis pauperes subleuare, odium ac vindictae cupidinem cohibere, voluptatibus masculè obniti et id genus alia cum prauis affectibus certamina, quoniam sumptus ac labores exposcunt, verae pietatis notae sunt ac obedientiae argumenta. A pagano dignoscitur miles vestitu castrensi, sago, chlamyde ac armorum nitore. Strenuus verò miles fortitudine, patientia, improbis laboribus, vitae ac membrorum pro salute patriae oblatione. His et aliis argumentis thesin suam corroborat Limali: Et, cum

Praeceptorum eius obseruantissimi sint Potuani, oleum et operam in hac regione perderent conuersores (Missionarii) Romani, qui ceremoniarum obseruantiam tantopere commendant, Paradisumque illis pollicentur, qui mortuorum reliquias venerantur, aut qui solis agrorum, hortorum, vinearum, fluminum ac Oceani deliciis tempore quadragesimali saginantur. *B*

Haec sunt praecipua capita Theologiae Potuanae, quae nil nisi mera religio naturalis nonnullis videbitur, et talis mihi initio apparuit. At contendunt *Potuani*, omnia sibi diuinitus esse reuelata, datumque ante aliquot saecula codicem, qui credenda et facienda complectitur. Olim, aiunt, sola religione naturali contentos vixisse maiores, docuisse vero experientiam, solum naturae lumen non sufficere, cum ob nonnullorum desidiam et incuriam praecepta ista naturalia penitus obliterarentur, et ob aliorum nimis subtilem philosophiam, cum nihil esset, quod libertatem cogitandi sisteret, ac intra limites contineret, omnia deprauarentur: hinc scriptam sibi legem a Deo fuisse datam. Et patuit inde, quantum errent ii, qui necessitatem reuelationis praefracte negant. Fateor equidem lubens, diuersa Theologiae *Potuanae* dogmata, si non laudanda, attamen non
82 plane contemnenda mihi videri, nonnullis vero adstipulari |nequeo. Istud vero non solum laude sed et admiratione dignum mihi videbatur, quod tempore belli a praeliis victores redeuntes, pro laetitia ac gaudio, quo nos victorias celebramus, ac *Te Deum* canimus, in tristi silentio aliquot dies exegerint, quasi puderet victores cruentae victoriae. Hanc ob causam rerum bellicarum rara fit mentio in chronicis subterraneis, sed annales eorum res tantum ciuiles, instituta, leges et fundationes complectuntur.

CAPVT VII.
DE POLITIA.

In Principatu Potuano successio haereditaria, et quidem linealis, integros mille annos viguit, et adhuc sancte obseruatur. Monstrant quidem annales, semel ab ordine successionis deflexisse *Potuanos;* nam, cum recta postulare videatur ratio, vt imperantes prudentia et animi dotibus subditis praestent, necesse existimarunt nonnulli, virtutum potius quam
83 natalium |rationem habendam, ac illum eligendum, qui inter ciues praestantior credebatur. Hinc, sublata antiqua successione, Principatus

omnium suffragiis delatus fuit Philosopho cuidam, nomine *Rabaku*. Idem prudenter initio ac placide adeo rempublicam moderabatur, vt regimen illius visum sit exemplar, ad quod alia exprimerentur. Attamen exiguae durationis fuit, adeo, vt sero tandem animaduerterint *Potuani*, falsum esse, quod vulgo dici solet: nempe beatum esse regnum, vbi Philosophi ad clauum sedent. Nam, cum nouus Princeps e sordidis initiis ad summa creuerat, solae eiusdem virtutes et regnandi artes venerationem illam ac maiestatem, quae reipublicae robur ac caementum est, parere ac tueri nequibant. Qui nuper illius aut aequales, aut superiores fuerant, vix adduci poterant, vt pari aut inferiori morem gererent, et vt eam nouo Principi praestarent obedientiam, quam subditi imperantibus debent, ideoque, quoties molestum quid et arduum illis imperatum fuit, murmura passim edebant, haud attendentes, qualis tunc esset Princeps, sed qualis
84 ante promotio|nem fuisset. Hinc more supplicantis cuncta eblandiri coactus fuit. Sed blanditiis parum profecit; nam imperata ac leges illius insuper habentes, ad quoduis edictum frontem contrahebant. Videns tunc *Rabaku*, aliis opus esse mediis ad subditos in officio tenendos, a clementia et popularitate ad seueritatem delabitur. Sed altero hoc extremo scintillae, quae sub cinere latuere, in apertum incendium eruperunt, inque Principem palam insurgere coeperunt subditi, vnaque male sopita rebellio initium erat sequentis. Tandem, cum animaduerteret, rempublicam stare nequire, nisi sub moderatore, illustri prosapia orto, et cuius natales populo venerationem imprimere solent, se ipsum sponte abdicans, insignia Principatus transtulit in Principem, cui iure natiuitatis debebantur. Ita cum antiqua domo regnatrice pax rediit, et procellae istae, quibus diu vexata fuerat respublica, detumuerunt. Cautum ex eo tempore est capitali supplicio, ne quid in ordine successionis in posterum innouaretur.

Est igitur hic Principatus haereditarius, et verisimile est, veterem
85 successionis |ordinem inconcussum semper mansurum, adeo, vt non nisi vrgente extrema necessitate a primogenito discedatur. Mentio quidem in annalibus *Potuanis*] *A B; Potuanis, SS* fit Philosophi, qui regiam hanc legem infracturus temperamentum aliquod commentus est. Suasit ille, a regia quidem prosapia non esse discedendum, sed, delectu filiorum defuncti Principis habito, sceptra illi deferenda, cuius virtutes maxime enitebant, et quem huic oneri maxime parem subditi iudicarent. Idem, postquam legem hanc proposuerat, tentamini se more patrio subiecit, collo, dum de

vtilitate consilii suffragia ferrentur, in laqueum inserto. Habito vero
senatu, ac numeratis suffragiis, legis istius rogatio tanquam temeraria ac
reipublicae exitialis damnata fuit. Credebant scilicet, multarum turbarum
hoc fomitem fore, ac seminibus discordiarum inter liberos regios ansam
daturum, satius proinde fore, antiquum obtinere, ac tutius esse, vt ad
Principem primogenitum ius principatus deuolueretur, quamuis natu
86 minores animi dotibus essent praestantiores. Antiquata igitur lege,
nouatoris gula laqueo frangitur. Nam soli, qui in |hoc Principatu capite
puniuntur, sunt nouatores: credunt quippe *Potuani*, quamuis
mutationem ac reformationem, licet bene digestam, motibus ac procellis
causam dare, totamque rempublicam fluctuantem reddere; si vero male
digesta ac praecox sit, praecipitium ac ruinam afferre.

Imperium Principum *Potuanorum*, quamuis nullis legibus
circumscribatur, paternum potius quam regium est. Ingeniis enim non
legibus iustitiam colentes, principatum ac libertatem, res alibi
dissociabiles, constanter miscent.

Inter huius Principatus leges maxime salutaris est illa, qua Principes
aequalitatem, quantum respublica patiatur, inter subditos tueri conantur.
Hinc nullae hic sunt dignitatum classes, tantum inferiores superioribus
obtemperare, et iuniores seniores colere ac venerari coguntur. Monstrant
quidem annales subterranei, ante aliquot saecula in vsu fuisse dignitatum
classes, easdemque legibus publicis fuisse ordinatas, sed patet simul,
magnis has motibus causam dedisse: nam fratri natu maiori durum atque
87 acerbum videbatur, |fratri suo minori loco cedere, et parentibus
intolerabile erat liberis posthaberi, adeo, vt altera arbor alterius
praesentiam fugeret, et tandem omnes conuersationes ac sodalitates
penitus cessarent. At non sola erant haec incommoda. Distinctionibus his
procedente tempore effectum est, vt praestantiores ac digniores arbores,
quas natura maximis animi dotibus et plurimis ramis decorauerat, vltimis
ac infimis subselliis in conuiuiis ac sodalitatibus locarentur. Nam omnis
arbor, cui valor aliquis erat internus, quaeque virtute ac prudentia
conspicua satis erat, adduci non poterat, vt titulum aut *προεδρίας*
characterem ambiret. Arbores vero nauci ac nullius pretii, quo naturale
vitium et inanitatem splendidis honorum titulis quodammodo tegerent,
absque intermissione Principem tamdiu petitionibus fatigabant, donec
titulum quendam extorquerent. Hinc effectum, vt tituli tandem
vilissimarum arborum haberentur notae ac indicia. Miras igitur ac

88 ridiculas scenas aduenis exhibebant congregationes solennes ac conuiuia, cum viderent, vepres aut dumos honoratioribus subselliis, |palmas vero, cedros et conspicuas quercus decem vel duodecim ramorum scamnis aut infimis sedilibus locari: nam, durante hoc statu, pauci erant vepres sine aliquo charactere. Foeminis tituli dabantur consiliariarum oeconomiae, moderationis aut aulae, et maiores in sexu sequiore, quam virili, turbas istud ciebat. Nonnullarum arborum vana ambitio eo vsque progrediebatur, vt, quamuis duobus tantum aut tribus ramis essent a natura donatae, titulos tamen decem vel duodecim ramorum venarentur, et, quae vepres aut dumi erant, palmae vocari gestirent. Id quod aeque ridiculum esset, ac si deformis aut monstrosus homo titulum formosi (Wolgebohrn] *A,* Wolgebohren *B;* Wohlgebohren *Elberling Kragelund*), aut infimo loco natus titulum illustris prosapiae (Edelgebohrn] *A,* Edelgebohren *B;* Edelgebohren *Elberling Kragelund*) ambiret. Hinc cum malum istud in summum excreuisset, ac tota regio quasi ad primum chaos redacta fuisset, cunctis inanes vmbras ac sine honore nomina aucupantibus, ausus est incola quidam ciuitatis *Keba*] *A B;* Kebae *Elberling SS (SS litteris cursivis)* legem proponere de abroganda hac

89 consuetudine. Idem more maiorum cum laqueo in forum abstractus est; at senatu coacto ac suffragiis initis, consili|um illius, nemine intercedente aut abrogante, vtile reipublicae iudicatum est. Quo facto, florea corona redimitus in triumphum per ciuitatem, comitante ac plaudente toto populo, ductus est. Et cum processu temporis animaduersum fuerit, quantam vtilitatem abrogatio huius consuetudinis attulisset, *Kadoki* siue magnus Cancellarius factus est.

Ex eo tempore sancte obseruata est lex de aequalitate inter ciues perpetuo conseruanda. Attamen consuetudinis huius antiquatione non cessauit omnis aemulatio, sed sola virtute ac meritis alter alterum superare, conatus est. Patet ex historia subterranea, vnum solum nouatorem ex eo tempore extitisse, qui legem de classibus dignitatum reuocare bis tecte molitus est, sed ob primum conatum ad venae sectionem damnatus est, et, cum accusatus fuerit in molimine isto persistere, ad firmamentum denique relegatus est. Nullae hinc dignitatum aut titulorum classes hodie in hoc Principatu obtinent, tantum supremus Magistratus distinctione quadam certas professiones aliis nobiliores declarat, qua tamen declaratione nemini ius datur primum locum in

90 conuentibus |sibi vindicandi. Distinctio haec cernitur ex edictis aut literis Principis, quae claudi solent his verbis: MANDAMVS ET INIVNGIMVS

AGRICOLIS NOSTRIS, FABRICARVM INVENTORIBVS, MERCATORIBVS, OPIFICIBVS, PHILOSOPHIS, ARTIFICIBVS, AVLAE MINISTRIS, etc.

Didici in archiuo Principis seruari catalogum quendam dignitatum huius tenoris.

CLASSES DIGNITATVM.

1) Qui opibus suis Rempublicam subleuarunt difficillimis temporibus.
2) Ministri, qui seruiunt gratis ac absque stipendio.
3) Rustici et agricolae octo ramorum et supra.
4) Agricolae septem ramorum et infra.
5) Fabricarum siue manufacturarum conditores.
6) Opifices, qui opificia necessaria exercent.
7) Philosophi et mitra donati Doctores vtriusque sexus.
8) Artifices.
9) Mercatores.
91 |10) Aulae Ministri, qui stipendio fruuntur 500 Rupatorum.
11) Iidem, quibus annuum stipendium est 1000 Rupatorum] *A,* Rapatorum *B* .

Valde ridiculus mihi visus est hic honorum index, cui nemo in orbe nostro album calculum adiiceret. Subodorabar equidem, quaenam esset inuersi ordinis ratio, quonam fundamento niteretur, et quibus argumentis eandem propugnarent subterranei. Sed fateor, adhuc mihi paradoxon esse, quod capere nequeo.

Inter alia notatu dignissima notabam sequentia. Quo pluribus beneficiis quis a republica cumulatur, eo modestiorem ac submissiorem se exhibet. Ita saepe videbam, *Bospolak*, virum inter Potuanos opulentissimum, tanta humilitate obuios in itinere ciues excipere, vt omnes submitteret ramos, capitisque inclinatione cuiuis plebeiae arbori gratum animum testaretur. Quaerenti mihi causam respondetur, ita fieri debere, cum in ciuium neminem plura beneficia essent collata, ac proinde maximus is reipublicae debitor existeret. Ad hunc tamen cultum nemo
92 lege obligatur, sed, cum *Potuani* sane ac cum iudicio |omnia expendant, sponte hanc virtutem exercent, existimantes se ad talem, quem grata mens dictitat, cultum obstringi: aliter sane, ac apud nos, vbi ii, qui maximis] *B,* maximus *A* honoribus maximisque emolumentis cumulantur, pauperiores alto supercilio despiciunt. Ciues vero meritissimi, quos omnes colere ac venerari iubentur, sunt numerosae sobolis auctores.

Heroës hi subterranei sunt, sacraque apud posteros memoria eorundem manet. Soli etiam sunt, quibus nomen MAGNI confertur. Longe aliter ac apud nos, vbi *Magni* dicuntur humani generis euersores. Hinc facile est coniicere, quid de *Alexandro Magno* aut *Iulio Caesare* statuerent subterranei, cum vterque sine prole mortuus aliquot hominum myriades neci dederit. Memini epitaphium rustici cuiusdam videre *Kebae* hac inscriptione ornatum: HIC IACET IOCHTANVS MAGNVS, TRIGINTA LIBERORVM PATER, SVI TEMPORIS HEROS. Notandum tamen est, ad gloriam istam acquirendam non sufficere solam sobolis procreationem, sed opus esse, vt et liberi honeste sint educati.

93. |In legum ac edictorum latione omnia lente procedunt; nam veterum fere Romanorum ritu leges hic conduntur. Nouae legis rogatio cunctis ciuitatum curiis affigitur. Et tunc liberum est ciuibus eandem examinare, ac monita sua ad Prudentum collegium, eum in finem in ciuitate *Potuana* constitutum, deferre. Serio hic perpenduntur omnia, quae de legis latione, obrogatione aut abrogatione, approbatione, correctione, limitatione aut extensione allata sunt. Et cum iureconsultorum limam omnia sic subierint, tandem ad consensum ac subscriptionem Principis mittitur promulganda lex. Cunctatio haec ridicula quidem nonnullis videri potest; at effectus huius cautionis est aeterna legum duratio, et fama accepi, nullam huius Principatus legem quingentorum annorum spatio minimae mutationi fuisse expositam.

In custodia Principis est catalogus arborum maxime insignium, vna cum earundem testimoniis tam doctrinae, quae ab Examinatoribus siue *Karattis* dantur, quam vitae morumque, quae a vicinis et tribulibus
94. emeruere. Hinc reipublicae |non desunt idonei viri, qui vacantia munera implebunt. Istud inprimis memorabile est, quod nemini ius habitationis in vrbis regione aut vico concedatur, nisi munitus sit testimonio regionis aut vici, vbi olim habitauit, cautionemque exhibeat vitae futurae.

In legem semel latam, ac publica auctoritate sancitam, prohibitum est sub poena capitis commentari, adeo, vt in rebus politicis restrictior sit libertas, quam in sacris. Causam huius instituti hanc afferunt: Si quis in religione aut rebus fidei aberret, suo solo periculo errat; at, si quis leges publice sancitas in dubium vocet, aut interpretationibus suis in alium sensum detorquere moliatur, societatem turbat.

De statu aulico et de eiusdem oeconomia superius a me allata sunt nonnulla. Monstraui, *Kadoki*, siue magnum Cancellarium, supremum

inter aulicos locum tenere. Huic proximus est *Smirian*, siue magnus
aerarii praefectus. Spartam hanc eo tempore obibat vidua septem
95 ramorum nomine *Rahagna*, ob integritatem et egregias animi dotes ad
tanti ponderis offici|um admota. Diu hoc munere functa erat, et quidem
aliquot annos ante obitum mariti, qui, quamuis et ipse in rebus aerarii
apprime versatus esset, coniugis tamen consilio ac nutu regebatur, adeo
vt nihil proprio arbitratu ordinaret, hinc vicarium potius, quam maritum
diceres. Literas quidem et edicta proprio nomine edidit, quoties illa aut
puerperio aut morbis impedita, negotiis vacare nequibat, nihil tamen
ratum ac authenticum censebatur, antequam vxoris subscriptione aut
sigillo esset munitum. Duos *Rahagna* habuit fratres, quorum alter cellae
aulicae inspector erat, alter lanio aulicus, nec ausi sunt ob tenuitatem
ingenii, licet sororem haberent in tanto honoris fastigio positam, maiora
ambire: tanta hic] *A B;* his *Kragelund (errore typographico?)* iustitia distribuuntur
munera.

Ipsa *Rahagna*, quamuis arduis negotiis distenta teneretur, infanti
tamen posthumo mamillas praebebat. Munus istud nutricationis nimis
molestum ac tanta matrona indignum mihi iudicanti, respondebant
subterranei: “Ecquid credis naturam foeminis mammarum vbera, quasi
96 quosdam naeuulos venustiores, non alendorum |liberorum, sed ornandi
pectoris causa dedisse? In moribus inolescendis magnam partem
ingenium altricis et natura lactis tenet. Quae partus suos aliarum
nutricationi committunt, vinculum istud coagulumque amoris ac animi
interscindunt.” Hinc cunctae huius Principatus matronae proprio liberos
lacte alunt.

Princeps haereditarius erat iuuenis sexennis, in quo erat indoles et magnarum virtutum semina, ac iam sex ramis erat instructus; id quod rarum est in viridi adeo aetate: nam nemo nisi cum quinque aut sex ramis nascitur, caeteri cum aetate excrescunt. Praeceptor eiusdem, sapientissima totius Principatus arbor, instruebat discipulum in notitia Dei, in Historia, Mathesi et Philosophia morali. Vidi celebratissimum istud Systema morale siue Compendium Politicum, quod in vsum Principis composuerat. Eidem compendio titulus est: Mahalda Libab Helil; quod lingua subterranea denotat *Clauum Reipublicae*. Complectitur praecepta admodum solida ac salutaria, quorum nonnulla adhuc memoria retineo; suntque sequentia.

97 |1) Accusationi aut laudi non temere fidem habendam; at suspendendum iudicium, donec matura rerum acquiratur notitia.

2) Si quis criminis alicuius arcessitus et conuictus sit, examinandum est, vtrum reus quid boni olim fecerit; atque ita bonarum ac malarum actionum comparatione facta, ac ratione simul habita, sententia tandem pronuntianda.

3) Molestis et crebro contradicentibus Consiliariis, tanquam cordatioribus subditis, confidat reipublicae Moderator: nam nemo pro dicenda veritate se ipsum periculo exponit, nisi is, cui patriae vtilitas propria salute sit carior ac antiquior.

4) In Senatum non recipiat, nisi latifundiorum Dominos; nam eorundem commoda cum commodo publico sunt coniuncta: contra, qui bona immobilia in Principatu non possident, regionem, non pro patria, sed pro stabulo quasi peregrinantes habent.

5) Ministerio quidem mali viri pro tempore, si ad certa negotia idoneus sit, vti potest; sed eundem peculiari honore] peculiari *A B;* peculiari *Elberling (Elberling in app. proponit aut vocabulum* honore *post* peculiari *inserendum aut* vel
98 *delendum),* peculiari *SS Kragelund (vide comm.)* vel fa|uore dignari inconsultum erit: nam si improbus aut odiosus vir inter amicos Principis recipitur, patrocinio eiusdem pessimae notae ciues emergunt, ac munera publica inuadunt.

6) Illos quam maxime habeat suspectos, qui saepissime aulam frequentant, ac atriis illius perpetuo inerrant; nam qui limina principum crebrius et haud rogati terunt] *A,* rogatiterunt *B* , ii sunt, qui facinus aut perpetrarunt aut moliuntur.

7) Ardentissimos honorum captatores minimo honore dignetur: nam, cum nemo stipem petit, nisi qui inops est, et fame premitur; ita nemo quoque honores auide venatur, nisi qui virtute ac meritis nullam aestimationem sibi acquirere potuit.

8) Praeceptum est reuera quidem vtilissimum, sed cui adstipulari nequibam ob odiosum, quo illustratur, exemplum. Praecepti verba haec fere sunt: nullum ciuem prorsus inutilem iudicandum; nam nemo tam hebes atque obtusus est, qui non, si verus fit delectus, vsui alicui inseruire, imo in certa re excellere queat. Ex: gr: ille iudicio
99 pollet, |hic ingenio, ille robore animi, hic corporis; ille iudicis, hic scribae officium implebit; ille in rebus inueniendis aut detegendis sagax, hic in rebus exsecutioni dandis strenuus est: ideoque pauci

sunt, qui plane inutiles dici queant. Nam, quod tot creaturae tales videantur, non creatoris culpa est, sed eorum, qui vires vniuscuiusque non rite perspiciunt, et eo, quo iubet Minerua] *B,* Minerra *A;* Minerva *SS* , ducunt. Thesin hanc meo exemplo illustrat his verbis: vidimus aeuo nostro animal superterraneum, quod omnium suffragiis ob praecox ingenium tanquam inutile terrae pondus habitum fuit, ob gressus tamen celeritatem et pedum praestantiam non exiguo nobis vsui fuisse. Lecta hac paragrapho, tacite ita mecum locutus sum: *Prologus est honesti viri, sed epilogus ac finis est nebulonis.*

9) In arte regnandi praecipuum istud iudicat, vt imperator solicite circumspiciat idoneum haereditario principi praeceptorem, eligatque pietate et eruditione maxime monstrabilem, cum ex institutione
100 futuri successoris salus reipublicae fluat. Nam quod in viridi ae|tate discimus, in naturam abit. Necesse hinc esse, ut iuuenis moderator sit patriae amans, qui amorem in proprios] *A,* proprios *B* subditos principi instillet: eo enim cuncta, quae iuueni dat, praecepta collineare debere.

10) Necesse est, vt indolem subditorum penitus scrutetur Princeps, eidemque se conformet; et, si vitiis subditorum mederi velit, exemplo potius, quam legibus reformet.

– – Velocius et citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos autoribus – –

11) Vt neminem otiosum esse patiatur, cum otiosi viri patriae sint oneri: nam industria continuisque laboribus crescunt et roborantur vires reipublicae; mala vero consilia ac subdolae machinationes dissipantur et euanescunt. Hinc consultius statui est, vt subditi rebus inutilibus, nugis ac ludis occupentur, quam vt indulgeant otio, prauorum consiliorum fomiti.

12) Officium Principis est, vt concordiam inter subditos seruet;
101 quamuis non |male faciat, si aemulationem quandam inter consiliarios suos foueat, cum hoc modo saepe detegitur veritas, velut veram causae cognitionem e iurgiis aduocatorum hauriet iudex.

13) Prudenter agit Princeps, si in rebus momentosis totius senatus sententias audiat; tutius tamen est singulorum senatorum seorsum,

quam totius coacti senatus vno eodemque tempore mentem explorare: nam in toto coacto senatu, vbi sententiae palam dicuntur, fieri solet, vt disertissimus saepe senator torrente eloquentiae suae caeteros abripiat, et sic pro multis vnicam tantum sententiam audiat Princeps.

14) Poenae non minus necessariae sunt, quam praemia: nam illis sistuntur mala, his promouentur bona. Hinc opus est, et malum virum ob rem bene gestam praemio mactare, quo ad] *B,* quo mactare, ad *A* munera rite obeunda acuantur alii.

15) In promotionibus ad dignitates ac publica munera docet dexteritatis in primis habendam esse rationem. Nam licet pietas et
102 integritas per se virtutes sint magis commendabiles, hae tamen |sunt,
quarum specie saepe fallimur. Nam vnusquisque pietatem simulat, cum sciat, hac virtutis ostentatione viam sibi ad honores pandi. Vnusquisque etiam eodem intuitu probum atque integrum se profitetur. Huc adde, quod de pietate aut integritate viri non facile sit iudicare, antequam ad munus admittatur, in quo, tanquam in conspicuo theatro, specimina virtutum editurus est. Dexteritatem vero praeuio examine facile est explorare. Nam stupido ac ignaro difficilius est stupiditatem] stupididatem *A B;* stupiditatem *Elberling* ac ignorantiam, quam hypocritae impietatem, aut nebuloni iniquitatem tegere. Porro capacitas ac probitas non sunt contrariae semper virtutes, quin in vno eodemque homine facile coalescant, veluti stupor cum probitate non semper est coniunctus. Si vero vir capax simul sit probus, omnibus numeris est absolutus. Stupidus vir aut bonus aut malus est; si malus, notum est, quot monstra alat ignorantia, quando cum malitia est coniuncta; si vero bonus est, ob
103 stuporem virtutes, quas possidet, exercere nequit. Et, si ipse |vel
nequeat, vel non audeat facinora machinari, audebit seruus aut minister, cuius opera vtitur. Nam stolidus fundi dominus vulgo astutum villicum habet, et stupidus iudex dolosum scribam, qui absque metu fraudes exercet; cum quicquid peccat, domini corio peccat. Hinc in distributione munerum in primis respicienda est dexteritas.

16) Nemo, tanquam ambitiosus, temere damnandus, ac ob id solum a limine honorum remouendus est, quod munera, quibus parem se credit, ambiat. Nam si in distributione officiorum hanc regulam nimis

stricte sequitur Princeps, humilitatis laruam induet ambitiosissimus quisque, certus, quod hac via tutius et celerius ad metam perueniat. Princeps vero acerrimos honorum venatores contra mentem suam promouebit, quia specie humillimos circumspicit, id est, eos, qui, vacante aliquo munere, fugam simulant ac latebras quaerunt, quique per amicos disseminant, ab omni se dignitate, ab omni honore
104. publico abhorrere. Affert huc exemplum viri cuiusdam, qui vacante |perspicuo quodam et saliuam illi maxime mouente munere, per literas Principi indicat, peruenisse ad aures suas, quod Serenitati suae statutum sit, dignitatem, quam multi solicite ambiunt, in se conferre, quocirca splendidum istud munus, cui imparem se profitetur, deprecatur, et vt in alium magis idoneum conferat, humillime rogitat, in primis cum ipse statu suo praesenti contentus ad maiora non adspiret. Motus adeo Princeps hac humilitatis testatione est, vt praeter mentem suam deprecantem ad eandem dignitatem eueheret. Mox tamen didicit, falsa humilitatis specie se circumuentum, cum nouus minister fastu ac impotentia animi omnes excederet.

17) Pauperem, qui non est soluendo, Senatorem vel Quaestorem aerarii constituere idem esse, ac famelicum cellae promptuariae praeficere. Idem dicendum de diuite auaro: ille enim nil habet; hic vero nunquam sat habet.

18) Nulla legata aut fundationes confirmare, quae ad alendas otiosas
105. arbores ac ad earundem inertiam fouendam so|lum tendunt. Hinc cuncta huius Principatus monasteria, cuncta collegia, non nisi nauas ac frugi arbores admittunt, eas scilicet, quae aut opere aliquo manuario rempublicam subleuare, aut studiis ac literis societatem, cuius membra sunt, ornare queunt. Excipiuntur tantum pauca quaedam monasteria, quae arbores alunt effoetas ac senio marcidas; hae enim aetatis priuilegio omni labore sunt exemptae.

19) Quando vitia status reformationem poscunt, lento incedere gradu necesse est. Nam cuncta simul inueterata vitia vno veluti ictu exstirpare velle, est idem, ac aegroto vomitum, purgationem ac venae sectionem vno eodemque tempore praescribere.

20) Qui audacter cuncta pollicentur, et plura in se negotia simul suscipiunt, aut stolidi sunt, qui proprias vires ignorant, et pondera rerum non perspiciunt, aut mali ac spurii ciues, qui sibi ipsis, non reipublicae seruiunt. Prudens homo lacertos] *B,* acertos *A* experitur,

antequam molem subeat; et genuinus ciuis, cui patriae salus sit cordi, nil perfunctorie agendum existimat.

106 |

CAPVT VIII.
DE ACADEMIA.

In hoc Principatu tres sunt Scholae superiores siue Academiae, quarum prima est *Potu*, altera *Keba*, tertia *Nahami*. Studia, quae in iisdem excoluntur, sunt Historia, Oeconomia, Mathesis et Iurisprudentia. Quod ad Theologiam attinet, cum concisa adeo et compendiosa sit, vt duabus fere paginis tota pandi et explicari queat; cumque praecepta ista tantum contineat, vt] *A*, et *B* amore et veneratione prosequamur Deum, rerum omnium creatorem ac moderatorem, qui in altera vita virtutes remunerabit, et scelera puniet; ita nullum est studium academicum, nec esse potest, cum legibus solicite cautum sit, ne quis de Dei essentia eiusdemque attributis disputet. Nec Medicina hic inter studia academica numeratur; nam cum arbores hae sobrie viuunt, morbi interni plerumque ignorantur. Nil dicam de Metaphysica et transcendentalibus studiis, cum
107 nuper monstrauerim, disputantes de essentia |diuina, de angelorum qualitate, deque animarum natura, post venae sectionem in nosocomia aut ergastula compingi.

Exercitia academica haec sunt] suut *A* . Tenentur studiosi iuuenes tempore tyrocinii difficilium ac curiosarum quaestionum analysin reddere. Nodi hi soluendi statis temporibus proponuntur, certo iis statuto praemio, qui scitissime et elegantissime aenigmata explicant. His mediis verus vniuscuiusque profectus elicitur: et perspiciunt studiorum moderatores, quanta cuique sit hasta, et qua in re magisterium polliceri queat. Nemo nisi vni soli disciplinae operatur. Nam polymathiae studium fluxi ac vagi ingenii notam autumant. Hinc fit, vt studia, cum intra limites adeo angustos coarctantur, breui maturescant. Ipsis quoque Doctoribus annua incumbunt specimina exhibenda. Philosopho morali difficile quoddam problema datur enucleandum. Historici est historiam aut partem quandam historiae contexere. Oeconomus et Mathematicus abdita

detegere ac scientiis suis nouis commentis lucem affundere tenentur. Iurisconsultorum specimina sunt aptae ac scite] scitae *A B;* scite *Elberling*
108 compositae |orationes: nam soli hi sunt, qui in Rhetorica aut arte dicendi se experiri coguntur; cum soli sint, quibus haec exercitia in posterum proderunt, ac ad obeunda aduocatorum munera, quae in vi dicendi consistunt, idoneos reddent. Hinc, cum narrarem, cuncta apud nos specimina academica in re oratoria fieri, istud institutum palam improbantes: si omnes, aiebant, opifices in suendis calceis exempla exhiberent, pleraque specimina cruda atque incondita fore, ac solos sutores praemia et coronas emerituros. Mentionem tantum feci artis oratoriae, de disputationibus nil ausus dicere, cum eaedem hic inter spectacula ludicra numerentur. Doctores publici, quae vtilia monitu suasuque sunt, non seuere, non imperiose praecipiunt, vti Philosophis nostris mos, sed festiuos delectabilesque apologos commenti, res salubriter animaduersas, cum audiendi quadam illecebra] *A,* ille cebra *B* inculcant.

Mirum est, quanta grauitate quantoque decore actus academici celebrentur, ac promotiones hic procedant. Nam cautio summa adhiberi
109 solet, ne quid in actibus academicis deprehendatur, quod risui |ansam dare, aut speciem ludicri spectaculi exhibere queat; quippe existimant, ritus academicos grauitate ac decore distingui debere a ludis theatralibus, ne artes liberales ob earundem exercitia parum decentia sordeant aut vilescant. Hinc non ausus sum mentionem facere rituum, quibus gradus ac promotiones in nostro orbe celebrantur, cum id, quod mihi acciderat *Kebae*, promotiones nostras Doctorales describenti, satis grauis causa esset perpetui silentii.

Praeter has Academias cunctae ciuitates maiores sua habent seminaria, sua gymnasia, vbi solicite delectus habetur ingeniorum, quo mature perspici queat, quaenam sit Rhodus, in qua quisque saltabit, aut in quo studii genere spem maxime polliceri possit. Dum in seminario *Kebano* tyrocinii rudimenta deposui, commilitones habebam quatuor iuuenes summi sacerdotis filios, qui omnes in re militari erudiebantur; quatuor alios Senatorii generis in opificiis et rebus manuariis; et duas virgines, quae in re nauali instruebantur. Nam respicitur tantum tyronum indoles, nulla sortis aut sexus ratione habita. Habita ingeniorum
110 exploratione, |testimonia vnicuique dant seminariorum moderatores, ea qua superius monstratum est fide. Testimonia haec sincera admodum et

absque studio partium data censentur, quamuis secus mihi videretur, cum testimonium, quod ego a Seminario *Kebano* obtinueram, stultum, absurdum atque iniquum crederem.

Nemini hic permittitur libros scribere, antequam tricesimum annum impleuerit, ac a studiorum moderatoribus maturus et idoneus ad scribendum sit iudicatus. Quocirca pauca, sed docta ac bene digesta scripta] *B*, scripta, *A*; scripta, *SS* in lucem prodeunt. Hinc cum infra annos pubertatis quinque vel sex dissertationes scripsissem, nemini id detegere audebam, ne risui exponerer.

Satis hoc de gentis indole, de Religione, Politia et Literis dictum. Restant alia nonnulla notatu digna, et huic genti peculiaria memoranda.

Si arbor arborem in duellum prouocat, prouocanti in perpetuum interdicitur armorum vsu; iubetur insuper tanquam infans sub tutela viuere, quoniam affectibus imperare nescit. Aliter ac apud nos, vbi
111 prouocationes eiusmodi notae atque indi|cia heroici animi censentur, maxime in septentrione nostro, qui originem huic prauae consuetudini dedit, cum prouocationes inter Graecos, Romanos aliasque antiquiores gentes plane fuerint ignotae.

In iure *Potuano* paradoxon istud notaui. Litigantium nomina occulta manent iudicibus, et lites non in locis, vbi sunt natae, dirimuntur, sed ad remotiores prouincias diiudicandae ablegantur. Mirae adeo consuetudinis ratio haec est. Docet experientia, iudices plerosque aut praemio corrumpi, aut studio partium abripi. Igitur eiusmodi tentationibus obuiam iri credunt, si nomina litigantium lateant, sique ignorentur actor et reus simul cum rebus, praediis ac fundis, quae in disceptationem veniunt. Sola argumenta vtriusque partis ad forum arbitrarium, pro lubitu Principis, mittuntur cum notis quibusdam ac characteribus: exempli gratia: *an A, qui est in possessione, rem possessam restituere debet, vrgente et actionem mouente B*. Vellem equidem hunc morem apud nos introductum, cum, quid studium partium aut alia irritamenta efficere in iudicum animis queant, saepe simus experti.

112 |Iura libere exercentur absque personarum respectu. Soli Principes ad interdictum non veniunt. Statim vero ac viuere desierint, accusatores publici siue reipublicae aduocati dicam defuncto scribunt. In] *B*, in *A* Senatu tunc maxime frequenti acta extincti Principis ad examen vocantur, et tandem sententia fertur, quae pro meritis mortuorum certis characteribus distinguitur. Characteres vero hi fere sunt: LAVDABILITER, HAUD

ILLAVDABILITER; BENE, NON MALE; TOLERABILITER, MEDIOCRITER. Quae
notae voce Praeconis in foro coram populo enunciantur, mox lapidibus
siue monimentis defunctorum imprimendae. Consuetudinis huius talem
Potuani dant rationem: principem viuentem in ius vocari non posse
absque motu ac turbis; nam, dum viuit, caecam illi deberi obedientiam ac
perpetuam venerationem, qua respublicae maxime stare solent: cum
principis vero obitu solui vinculum istud, quo imperantibus obstricti sunt
113 subditi, ac proinde sui quodammodo iuris factos libere agere posse. Ita
saluberrimo hoc, quamuis valde paradoxo, |instituto securitati principis
prospicitur, maiestati summi imperii nil detrahitur, et tamen saluti
reipublicae simul consulitur. Nam characteres hi, quamuis defunctis dati,
totidem viuentibus ad virtutem sunt stimuli. Docet historia *Potuana*, per
integros quadringentos annos, duos tantum principes fuisse, qui infimum
characterem, scilicet *Mediocrem*, tulerunt. Caeteri fere omnes
Laudabilem aut *haud illaudabilem* emeruere, prout monstrant
epigrammata vniuscuiusque monumenti, quae adhuc sarta, tecta] *A B;* sarta
tecta *Elberling,* sarta, tecta *SS (*sarta tecta *commendat SS app. Vide comm.)* , et a temporis iniuria
inuicta manent. Character *Mediocris*, qui dialecto *Potuano* dicitur *Rip-fac-si*, tantum in familia principali luctum ciet, vt successor defuncti
Principis, vna cum eiusdem consanguineis, integros sex menses pullati
incedant. Tantum abest, vt successores iudicibus ob ingratas eiusmodi
sententias succenseant, vt stimuli illis potius sint ad res praeclare
gerendas, et vt virtute, prudentia, iustitia et moderatione notam, domui
principali inustam, deleant.

Cur vero horum Principum alter charactere hoc notatus fuerit, causa
114 haec erat: In rebus bellicis exercitatissimi qui|dem sunt *Potuani*, nemini
tamen bellum inferunt, sed illatum fortiter propulsant. His mediis
effectum est, vt arbitri fiant inter alios belligerantes, variique huius globi
populi iustae ac pacificae gentis imperio se sponte subiecerint. At
Princeps *Mikleta*, auidus proferendi fines Principatus, vicinos bello
adortus, eosdem breui subegit. At, quantum gens *Potuana* hac deuictae
gentis accessione creuit, tantum decrementi passa est, amore vicinorum]
B, vicinorum, *A;* vicinorum, *SS (*vicinorum *sine virgula commendat SS app.)* in terrorem ac
inuidiam verso. Et ingens ista existimatio iustitiae et aequitatis, qua sola
creuerant ac steterant res *Potuanae*, ex eo tempore nutare coepit. Hinc
Potuani, vt beneuolentiam aliarum gentium sibi rursus conciliarent,

defuncti Principis memoriam hac nota affecerunt. Quaenam vero noxa fuerit alterius Principis, hoc charactere notati, non constat.

Doctores publici sunt ii, qui tertiam aetatem attigerunt. Vt explicatius hoc fiat, notandum est, vitam arborum in tres classes describi. Prima aetas earum est, quae in rebus publicis erudiuntur. In secunda aetate ea,
115 quae didicerunt, publice exercent. In tertia vero aetate, a |muneribus publicis honeste dimissae, alias instruunt. Hinc nemo publice docendi iure gaudet, nisi in administratione rerum publicarum consenuerit, cum nemo solida praecepta dare existimetur, nisi qui ex vsu plenam hauserit notitiam.

Si quis turpitudine vitae defamatus, honestum ac reipublicae salutare consilium dederit, supprimitur nomen viri, ne sententia proba turpissimi autoris contagio dehonestetur; et iubetur decretum ex viri honestioris nomine fieri: sic bona sententia manet, turpis autor mutatur.

In articulo de religione didici, interdictum esse, de rebus fidei fundamentalibus, in primis vero de essentia et attributis Dei disputare: at liberum est, de aliis rebus iudicia proferre, et sententias particulares ventilandas proponere. Dicunt *Potuani*, incommoda, quae ex eiusmodi litibus nascuntur, comparari posse cum procellis, quae tecta atque arbores prosternunt, at simul purificant aërem, impediuntque, ne nimia tranquillitate putrescat. Cur paucos habeant dies festos, causa haec est, ne
116 otio torpeat arboreum genus: credunt enim *Potuani*, in vtili |labore non minus, quam in votis ac precationibus esse cultum Dei.

Studium poëticum frigide tantum excolitur, licet Principatus hic non plane destitutus sit Poëtis. At Poësis subterranea sola stili sublimitate differt a dictione soluta. Hinc tanquam puerile quippiam deridebant id, quod de pedibus ac rythmis nostris narrabam.

Inter Doctores *Potuanos* sunt, qui Professores boni gustus dicuntur. Horum est, curam agere, ne vitiliginibus ac rebus nihili occupentur iuuenum animi, ne scripta nimis triuialia ac plebeii saporis, quorum lectio gustum deprauat, in lucem prodeant; et vt e libris imprimendis deleantur ea, quae contra sensum communem sunt. Et hunc solum in finem institutae sunt censurae ac reuisiones librorum; aliter ac in orbe nostro, vbi a censoribus optimae notae libri ob id solum supprimi solent, quod a regnante quadam opinione, siue adoptata quadam loquendi formula, paulum deflectant, aut quod vitia mortalium salse aut candide perstringant. Quo fit, vt studia sufflaminentur, et scripta sani coloris

117

enitescere nequeant. |At, quoniam liberum *Potuanis* cum conterminis gentibus est commercium, inter alias saepe merces libri nonnunquam triuiales ac plebei saporis irrepunt. Hinc instituti sunt censores, qui bibliopolia identidem frequentant. Vocantur hi *Syla-Macati* (i. e.) bibliothecarum purgatores: Nam, velut in orbe nostro certum est hominum genus, qui caminos ac fornaces quotannis verrit, ita censores isti, examine librorum venalium habito, sordes solicite secernunt, ac in cloacas, quicquid est librorum triuialium, qui gustum deprauare queunt, abiiciunt. Hinc mecum: Hei! quanta librorum foret strages, si id institutum in orbe nostro obtineret?

Maxime vero laudanda est cura eorum, qui e iuuenum indole, quem vitae cursum potissimum sequantur, exquirunt. Nam sicut in fidibus musicorum aures vel minima sentiunt: sic iudices hi atque animaduersores virtutum ac vitiorum, magna intelligunt saepe ex paruis; ex oculorum obtutu, superciliorum aut remissione aut contractione, ex moestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia et ex similibus
118 rebus facile iudicant, quid |aptum cuique, et quid a natura discrepet.

Sed vt iam ad me ipsum redeam. Parum iucunde tempus transmisi cum paradoxis his arboribus, quibus contemptui ac derisui eram ob imputatum mihi praecox ingenium. Et aegre ferebam dicteria] dicteria, *A B;* dicteria *Elberling,* dicteria, *SS* eo nomine in me coniecta: nam vulgo *Skabba*, id est, praecocem aut praematurum me nominabant. Maxime vero dolebam, idem de me iudicium ferri a lotrice mea, quae, quamuis ex infima plebis faece esset, misera scilicet et triobolaris tilia, odioso tamen isto titulo me notare non dubitauit.

119 |

CAPVT IX.
ITER KLIMII CIRCA PLANETAM NAZAR.

Postquam spatio biennii molesto cursoris officio functus eram, totamque regionem mandatis ac literis publicis oneratus peruolaueram, taedebat me tandem molesti ac simul indigni muneris. Hinc aliis super alias

precationibus a serenissimo Principe honestam dimissionem petebam, munus paulo honoratius simul ambiens. Sed repulsam semper tuli, cum iudicauerit Princeps, non esse virium mearum, maioris momenti res gerere. Allegauit etiam leges et consuetudines, quae petitionibus meis refragabantur, quaeque ad insignia atque ardua ministeria solos idoneos viros admittunt. Necesse igitur esse dicebat, in officio mihi semel collato permanere, donec aliquo merito ad maiora viam mihi sternerem. Claudit orationem his monitis:

Metiri se quemque suo modulo ac pede fas est.
120 |*E coelo magnum descendit γνῶθι σεαυτόν,*
Figendum ac memori tractandum pectore –

Iteratae hae repulsae ad audax et desperatum consilium me adegerunt. Conabar ex eo tempore aliquid noui comminisci, quo praestantiam indolis patefacerem, et maculam, qua notatus eram, diluerem. Integrum fere annum in legibus et consuetudinibus huius Principatus inuestigandis omne studium posueram, periculum facturus, an vitia quaepiam, reformationem poscentia, forte detegerem. Meditationes meas aperui dumo cuidam, quem arcta familiaritate complexus eram, et quocum seria et iocos miscere consueueram. Ille quidem commenta mea non plane absurda iudicabat, sed an reipublicae huic vtilia forent, valde dubitabat: Esse reformatoris officium, aiebat, statum et indolem regionis reformandae oculis sistere; nam eadem res pro diuersis terrarum ingeniis diuersos et contrarios effectus producit, veluti idem medicamentum, quod vni corpori prodest, aliis noxium deprehenditur. Docuit porro, quanto me periculo exponerem, aleam hanc subeundo, comitia de capite meo
121 |habenda, actumque de vita mea fore, si consilia mea ab examinatoribus improbarentur. Ardenter igitur rogabat, vt maturius omnia expenderem, quamuis a conatu non plane dissuaderet, cum fieri posset, vt quippiam solerti examine tam mihi ipsi, quam statui vtile detegerem. Secutus consilium amici, tempus prorogabam, ac patienter deinceps cursoris munere fungebar, vrbes ac prouincias more solito circumuolans. Continuus iste cursus ansam mihi dedit, totum Principatum cum vicinis regionibus accurate perspiciendi. Et ne memoria exciderent, quae in itineribus meis annotaueram, cuncta eo, quo poteram, stylo persecutus, non exiguae molis volumen Principi offerebam. Quantum hoc opus Serenitati suae ad palatum fuerit, exinde mox patuit, quod labores meos

in Senatu publico encomio extolleret, perlectoque studiose libro, meo vti ministerio ad totum Planetam *Nazar* detegendum decerneret. Aliam ego lucubrationum mearum messem exspectaueram, quocirca tacite cum Poëta ingeminabam:

– – *Virtus laudatur et alget.*

122 |At, cum rerum nouarum auidissimus essem, ac praemia post reditum a benignissimo Principe sperarem, haud prorsus inuitus operam meam addixi.

Globus Planetae *Nazar*, quamuis circuitu vix ducenta milliaria germanica complectitur, valde tamen spatiosus ob tarditatem incessus incolis videtur. Hinc subterraneis hisce adhuc pleraeque regiones maxime vero remotiores sunt incognitae. Nam cuiuis *Potuano* biennii spatium non sufficeret, orbem hunc pedibus emensuro. Mihi vero ob pedum pernicitatem vnus mensis sat erat. Quod vero maxime me anxium habuit, erat ea, quam imaginabar, linguarum diuersitas. Sed animum mihi addiderunt nonnulli, qui totius Planetae incolas, licet moribus mire discordes, eadem tamen dialecto vti testabantur; porro totum arboreum genus innoxium, sociabile et beneficum esse, adeo, vt absque vllo discrimine totam huius globi superficiem perreptarem. His dictis calcaria addita sunt sponte currenti, initioque mensis Populi itineri me dabam.

Quae sequuntur stupenda adeo sunt, vt ad fictiones poëticas aut
123 meros ingenii |lusus referri queant, maxime cum diuersitas ista corporum et animorum, quam in itinere hoc expertus sum, ne inter gentes quidem a se inuicem dissitissimas, et sub alio sole viuentes, expectari posset. At notandum est, plerasque huius globi gentes per freta ac maria dirimi, ac speciem quandam archipelagi praebere hunc globum. Raro haec freta traiiciuntur, et portitores, qui ad ripas excubant, solorum peregrinantium causa in his stationibus ponuntur. Ipsi enim indigenae vix pedes extra limites patriae proferunt, et, si necessitate adacti freta transmittere cogantur, subito reuerti solent, vtpote alieni soli diu impatientes. Hinc quot gentes, tot noui orbes. Praecipua vero huius dissimilitudinis causa oritur e terrarum diuersa natura, quam indicant agrorum ac glebarum varii colores, ac plantarum, frugum ac leguminum insignis dissimilitudo; vt mirum proinde non sit, in ista terrarum ac frugum diuersitate, tot diuersas incolarum indoles, ac tot oppositas naturas deprehendi. In nostro orbe indole, moribus, studiis, colore et corporis forma a se inuicem

124

leviter tantum distant gentes etiam maxime re|motae. Nam, cum soli qualitas vndiquaque eadem fere est, nisi quod vna terra alia sit feracior, ac frugum, herbarum ac aquae eadem sit natura, tot heterogenea animantia produci nequeunt, quot in hoc globo subterraneo nascuntur, vbi cuiuis terrae sua peculiaris qualitas. Alienigenis iura quidem itineris et commercii, sed habitationis non conceduntur, nec ob terrarum diuersas adeo atque oppositas naturas concedi possunt. Hinc peregrini omnes, qui in itinere occurrunt, aut viatores sunt aut mercatores. Terrae vero, quae principatui *Potuano* sunt confines, eiusdem fere indolis sunt: incolae earundem grauia olim bella gesserunt cum *Potuanis*, iam vero iisdem aut foedere sunt iunctae, aut domitae sub mansueta eorum dominatione acquiescunt. At traiecto ingenti, quod totum globum secat, freto, noui visuntur orbes, noua et ignota *Potuanis* animalia. Id solum commune habent cum hoc principatu, quod cunctae totius globi creaturae rationales
125 arbores sint, et eadem fere dialecto vtantur: Hinc molestum non est iter, in primis, cum ob frequentiam mercatorum aut viatorum |per prouincias transeuntium, assueti sint, omnes creaturas heterogeneas ac sibi dissimillimas videre. Istud monuisse operae pretium duxi, ne subsequenti narratione aures offendantur, ac narranti ob splendida mendacia dica scribatur.

Longum foret, nec operae est, sigillatim et secundum ordinem historicum omnia, quae in hoc itinere mihi oblata sunt, persequi; describere tantum lubet gentes maxime paradoxas, in quarum moribus] moribus, *A B;* moribus *ed1754,* moribus, *SS Kragelund* ac indole non pauca adeo insolita ac stupenda deprehendi, vt globus *Nazar* eo nomine inter miracula mundi numerari queat. Obseruaui, totum plerumque arboreum genus humanitate, iudicio ac grauitate a *Potuanis* parum differre, ritibus vero, ingeniis corporisque forma adeo discordare, vt quaeuis prouincia nouus mihi orbis apparuerit.

In prouincia *Quamso*, quae prima vltra fretum regio est, nulli corporis infirmitati ac morbo obnoxii sunt incolae, sed omnes vsque ad canitiem in valetudine inoffensa viuunt. Hinc visae mihi sunt omnium creaturarum
126 felicissimae: at, e leui cum iisdem conuersatione, opinione me |insigniter falsum esse, animaduerti. Nam cum inter huius prouinciae incolas neminem viderim tristem, ita neminem simul contentum, ne dicam laetum, conspexi. Nam vti coeli serenitate ac aëris temperie, non nisi turbida ac nubila prius experti, afficimur; ita arbores hae felicitatem non

percipiunt, quia perrennis] *A B;* perennis *ed1754 Elberling Kragelund* ac sine interruptione est, sanosque se non sentiunt, quoniam morbos ignorant. Vitam igitur agunt in perpetua sanitate, at simul in perpetuo tepore: perpetua enim bona languescunt satietate; et soli iucunde viuunt, quorum suaues voluptates acoribus condiuntur. Testari possum, in nulla gente mores minus lepidos, conuersationem magis frigidam et inuenustam me deprehendisse. Innoxia sane gens est, sed ea, quae nec amore, nec odio digna; nullius offensa metuenda, et nullius fauor exspectandus: et vt paucis dicam: nihil hic, quod displiceat, nihil etiam, quod placeat, reperies. Porro, cum perpetuum istud corporis beneficium mortis
127 imaginem nunquam oculis sistat, nullamque miserationem erga afflictos et laborantes alios moueat; ita nimis secure ac frigide absque |zelo et misericordia totum vitae tempus transigunt. Quocirca in illa gente nullum pietatis, nullum amoris ac misericordiae vestigium apparet. Nam cum morbi mortalitatem nobis repraesentent, ad bene moriendum nos quoque acuunt, ac quasi in procinctu itineris paratos stare iubent; et, cum cruciatibus nos affligant] affligat *A B;* affligant *Elberling* , afflictorum simul misereri docent. Hinc facile mihi erat discernere, quantum morbi et pericula mortis ad pietatis ac socialitatis exercitia nos ducant, imo, quam iniuste succenseamus Creatori, quoniam ad certas nati videmur afflictiones, quae salubres tamen et vtiles nobis sunt. Notandum tamen istud est, has Quercus, quoties in alia loca divertuntur, morbis et] *A,* morbis *B* infirmitatibus, non secus ac alias arbores, esse expositas. Hinc soli huius regionis aëri aut victui hoc beneficium, modo beneficium dici mereatur, acceptum ferendum iudico.

Prouincia *Lalac*, quae cognominatur *Mascatta*, id est, beata, nomini respondere videbatur; nam omnia ibi sponte proueniebant.

128 |

Flumina iam lactis, iam flumina Nectaris ibant,
Flauaque de viridi stillabant ilice mella:
Ipsa quoque immunis rastroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.

At insigne hoc beneficium non aliis feliciores reddit incolas. Nam cum nullo ad victum parandum opus sit labore, otio ac desidia plerique torpentes, perpetuis vexantur morbis. Hinc pauci sunt, quos non praematura mors abripit, vermibus scilicet ac putredine corruptos.

Materiam non minus amplam meditationibus philosophicis suggessit natura huius terrae, patuitque e gentis conditione et sorte, seruos et operarios quodammodo feliciores esse illis, qui de victu nunquam soliciti, desidiae ac voluptati indormiunt.

Nempe inamarescunt epulae sine] *A,* siue *B* *fine petitae,*
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus – – – –

Hinc tot praua consilia, desperati conatus, violentae mortes. Nam
129 affluentia illa, in qua viuunt, omnem gustus ac vo|luptatis sensum eripiens, nauseam ac vitae fastidium vnicuique affert. Ita regio ista, quam beatorum domicilium imaginabar, tristis silentum sedes mihi visa est, miseratione dignior, quam inuidia.

Hoc celerare fugam, terraque excedere suasit.

Proxima huic terrae est regio dicta *Mardak*, cuius incolae sunt cupressi, eiusdem omnes corporis formae; solis vero oculorum diuersis figuris a se inuicem distinguuntur. Quidam lumina habent oblonga, quidam quadrata; minutissima alii, alii patula, quae totam fere frontem occupant: nonnulli nascuntur cum binis, alii cum trinis, alii cum quaternis oculis. Sunt etiam, qui vno solo oculo gaudent; sobolem diceres Polyphemi, nisi quod oculum hi in occipitio habeant positum. Hinc, pro diuersis luminum figuris, in totidem tribus describuntur.

NOMINA TRIBVVM HAEC SUNT:

1) *Nagiri*, id est eorum, qui lumina habent oblonga, et quibus proinde cuncta obiecta apparent oblonga.
130 |2) *Naquiri*, quorum oculi quadratae sunt formae.
3) *Talampi*, cum oculis minutis.
4) *Iaraku*, cum binis oculis, quorum alter altero paulo obliquior.
5) *Mehanki*, cum trinis.
6) *Tarrasuki,*] Tarrasuki *A B* cum quaternis.
7) *Harramba*, quorum lumina totam frontem perreptant.
8) *Skadolki*, qui vnum in occipite oculum habent.

Harum omnium numerosissima ac proinde potentissima tribus est *Nagirorum*, id est, eorum, qui oculos oblongos habent, ac quibus proinde obiecta apparent oblonga. Ex ista tribu soli reipublicae Rectores,

senatores ac sacerdotes desumuntur. Soli ad clauum sedent hi, et neminem ex alia tribu ad munera publica admittunt, nisi qui fatetur, tabulam quandam, soli dedicatam, et in loco editissimo templi positam, sibi etiam videri oblongam, eamque confessionem iureiurando firmat. Sacra haec tabula praecipuum] *A,* praecipium *B* cultus *Mardakani*] *Mardakani, A B; Mardakani Elberling, Mardakani, SS ((*Mardakani *sine virgula commendat SS app.))* obiectum est. Hinc honestissimi ciues, qui crimine periurii se polluere nolunt, ab
131 omni publico honore remoti, perpetuis |sannis ac persecutionibus exponuntur; et quanquam testentur, oculis se fidem abnuere non posse, querelae tamen insuper habentur, et quod vitium naturae est, soli eorundem malitiae aut contumaciae imputatur.

Formula iurisiurandi, cui omnes, ad munera ac honores admittendi, subscribere tenentur, haec fere est:

Kaki manasca quihompu] *A B; qiuhompu SS (in* quikompu *(!) corrigit SS app.)* *miriac Iacku mesimbrii Caphani Crukkia Manaskar Quebriac Krusundora*.

i. e. "Ego iuro, sacram solis tabulam mihi videri oblongam, et polliceor, in hac opinione me ad vltimum vitae halitum permansurum."

Praestito hoc iureiurando, candidati honorum fiunt, et in tribum *Nagirorum* cooptantur.

Postridie aduentus mei, dum per forum otiosus ambulo, senem quendam ad flagra deduci conspicor, comitante ingenti cupressorum caterua, et dicteria in noxium eiaculante. Roganti mihi, quid rei esset, respondetur, haereticum esse, qui palam docuerat, tabulam solis sibi
132 quadratam videri, in eaque pestifera opinio|ne, post crebras admonitiones, pertinaciter perstiterat.

Hinc templum solis, periculum facturus, an orthodoxos haberem oculos, ingressus, cum tabula ista sacra mihi quoque quadrata appareret, hospiti meo, qui ad aedilitatem vrbis nuper euectus erat, id candide indicabam. Profundo ille suspirio verba mea excepit, testans, sibi etiam quadratam videri, sed nemini id detegere ausum, ne negotium sibi facesseret tribus regnatrix, et munere priuaret.

Tremens igitur ac tacitus vrbem reliqui, verens, ne crimen oculorum tergo luerem, aut odioso haeretici titulo notatus, cum ignominia eiicerer. Nulla sane instituta horrida magis, magisque barbara et iniqua mihi sunt visa: sola enim videbam simulatione, solo periurio, iter ad honores pandi. Hinc redux in principatum *Potuanum*, quoties data fuit occasio, in barbaram istam rempublicam bilem euomui. At cum iunipero cuidam,

mihi admodum familiari, pro more furens indignationem meam
133. patefacerem, ita fari exorsus est ille: “Nobis equidem stulta atque iniqua
Nagirorum instituta videbun|tur, tibi vero non mirum videbitur, si ob
istam luminum varietatem tanta seueritas exerceatur; quippe asserere te memini, in plerisque rebuspublicis Europaeis dari regnatrices tribus, quae ob naturale oculorum, siue rationis vitium, in caeteras ferro ac igne grassantur, teque eiusmodi coactiones tanquam pias ac rebuspublicis admodum salutares laudasse.” Intelligebam mox, quorsum tenderet arguta viri oratio. Hinc rubore suffusus discessi, et ex eo tempore tolerantiae perpetuus praeco, mitiora de errantibus iudicia fero.

Principatus *Kimal*, omnium potentissimus ob diuitias, quibus abundat, habetur. Nam praeter argentifodinas, quarum magna est copia, ex arena fluuiorum ingens vis auri quotannis elicitur: margaritarum quoque feracia passim sunt maria. At, in solis opibus felicitatem non esse positam, e curatiori huius gentis examine didici. Nam quot incolae, tot fere fossores sunt et vrinatores, qui in lucrum intenti, ad perpetuam
seruitutem, et maxime improbos labores damnati apparent. Qui ab his
134. laboribus immunes sunt, pro the|sauris acquisitis excubias agunt. Tota
regio latronibus infesta adeo est, vt absque custodibus corporum nemo
iter facere audeat] *A*, doceat *B* .

Non tam festa dies, vt cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum.
Viuitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.
Filius ante diem patrios inquirit in annos;
Victa iacet pietas, et virgo caede madentes
Vltima coelestum, terras Astraea reliquit.

Hinc gens ista, quam inuidis oculis intuentur vicini, commiserationem potius, quam inuidiam meretur. Nam metus, suspicio, diffidentia, liuor, omnium animos perpetuo obsidet, alterque alterum tanquam hostem, bonis suis insidiantem, intuetur, adeo, vt metus, solicitudo, peruigilium,
faciei pallor, fructus et messes sint felicitatis istius, quam iactat
135. principatus *Kimal*. Hinc non absque mole|stia ac metu regionem
peragraui; nam in quauis semita ac loco limitaneo causam itineris, nomen, patriam et alia custodibus viarum indicare cogebar, expositumque me videbam cunctis his vexationibus, quas in regione

suspicaci experiri solent viatores. Montem haec terra habet igniuomum, vnde subterranei ignis venae perpetuis veluti fluctibus euoluuntur.

Postquam emensus eram hunc principatum, quo molestiorem nullum in toto meo itinere expertus sum, cursum persequor continue orientem versus. In gentes vbique sociabiles ac bene moratas, sed simul valde paradoxas, incidi. Maximam vero admirationem mouebant incolae perexigui regni *Quamboia*, quos natura inuerso ordine formauerat, adeo, vt, quo maturior quis aetate ac annis fit, eo proteruior ac voluptuosior euadat, crescantque cum annis petulantia, lasciuia ac vitia, quae viridem aetatem alibi comitari solent. Nemini igitur munus hic reipublicae committitur, nisi annum quadragesimum nondum impleuerit: si vero hunc terminum excesserit, instar pueri petulantis est,

136 |

– – quem dura premit custodia matris.

Videbam senio canos in plateis vrbis passim vitulantes, ludis puerilibus tempora fallere,

Aedificare casas, plostello adiungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Videbam, eosdem a pueris eo saepe nomine reprehendi, ac nonnunquam flagris domum compelli. Virum conspexi decrepitum, in foro palam turbinem flagello rotantem, aut trocho ludentem. Idem olim vir fuerat omnium grauissimus, et magni consilii praeses. Inuersum hunc ordinem in sexu tam sequiori, quam virili deprehendi. Hinc iuueni vetulam vxorem ducenti, fata Actaeonis ominantur omnes; id quod e diametro oppositum est iis, quae apud nos vsu veniunt, vbi senex iuuenculam ducturus cornua timet. Obuios semel habui duos defloccatos senes in foro digladiantes. Miranti insolitum in ista aetate feruorem, et causam duelli quaerenti, respondetur, litem inter eosdem enatam esse de meretrice, quam in
137 lupanari ambo subagitauerant. Qui |istud mihi narrabant, addiderunt, nates eorundem virgis strenue lacerandas, si ad aures tutorum aut moderatorum ista senum petulantia perueniret. Eadem vespera annosa dicebatur matrona suspendio vitam finiuisse, cum repulsam tulisset ab adolescentulo fago, cuius amore exarserat.

Inuersus hic ordo inuersas etiam leges postulat. Hinc in isto legis capite, vbi agitur de tutela, nemini bonorum administratio conceditur,

nisi infra annos 40 sit. Porro pacta legitima non censentur, quae ab iis, qui annos quadraginta excesserunt, sunt inita, nisi a tutoribus aut liberis eorum sint signata. In capite de subordinatione, haec extant verba: *Senes ac vetulae liberis suis dicto obedientes sunto*. Hinc, qui in officiis est, paulo ante quadragesimum annum dimitti solet; et

> – – *Interdicto huic omne adimat ius*
> *Praetor, et ad iuuenes abeat tutela propinquos.*

Credebam ego, non consultum mihi fore, diutius in hac regione haerere, vbi, si decennium mihi adhuc viuere contingeret, iussu legis, repuerascere cogerer.] *A,* cogerer. At defunctus hac peregrinatione, cum indolem huius gentis comparabam moribus ac institutis populorum meorum, quos in aetate virili philosophari, in senectute vero vitulari, luxu diffluere, et vanos honorum titulos venari cernimus, nonnihil de rugis remisi, et iudicia paulo mitiora de gente hac ferre coepi. *B (pro* populorum *Elberling recte conjecit* popularium

138 |In regione dicta *Cocklecu*] *A B;* Cochlecu *SS (in* Cocklecu *corrigit SS app.)* consuetudo obtinebat non minus peruersa, et ab Europaeis maxime damnanda. Inuersus hic ordo non naturae, sed solis legibus originem debuit. Incolae terrae omnes iuniperi sunt vtriusque sexus: at soli viri ad culinaria, et ignobiles labores damnantur. Tempore belli militiae quidem nomina dant, sed supra sortem militum gregariorum raro ascendunt, cum pauci admodum sint, qui vexilliferi fiunt; estque munus vexilliferi summa dignitas militaris, ad quam arbor masculina aspirare queat. Mulieribus contra maximi ponderis negotia, qua ciuilia, qua sacra, et militaria committuntur. Nuper deriseram *Potuanos*, quod in distributione officiorum nullum sexus discrimen admitterent. At haec gens furere mihi visa est, et naturae penitus aduersari. Capere sane non poteram indolentiam virorum, qui, cum corporis viribus longe sint praestantiores, indignum adeo iugum sibi imponi passi fuerint, ac tot saecula ignominiam hanc concoxerint. Nam facile esset, iugum excutere, modo vellent, aut auderent neruos muliebri huic tyrannidi incidere. At,
139 |inueterata consuetudo eo vsque excaecauerat animos, vt nemini in mentem veniret, pro tollenda ista ignominia aleam subire, quin crederent, naturam ita ordinasse, vt imperium penes mulieres esset, virorum vero esset texere, molere, pensum facere, aedes verrere, vapulare. Argumenta vero, quibus hunc vsum tueri solent mulieres, haec sunt: cum sexum virilem, corporis viribus, et lacertis, ad duros perferendos labores aptioribus, natura donauerit, credi potest, solum masculinum genus ad

ignobiles ac ferreos labores relegasse. Stupebant extranei, cum domos introëuntes matremfamilias viderent in museo, cum stilo ac pugillaribus sedentem, maritum vero culinae inerrantem, et ollas patinasque tergentem. Et sane in quamcunque domum venerim, cum patrefamilias locuturus, mittor ad culinam, vbi

Hic lauet argentum, vasa aspera tergeat alter;
Vox dominae fremit instantis virgamque tenentis.

Inuersae huius consuetudinis funestos notabam effectus: Nam,
140 quemadmodum in |aliis terris petulantes ac salaces dantur mulieres, quae pro mercede corpora prostituunt, ac pudicitiam in propatulo habent, hic adolescentuli ac viri noctes vendunt, eumque in finem lupanaria conducunt, quorum portae titulis ac signis meretriciis dignoscuntur. Iidem cum nimis audacter ac palam quaestus hos improbos agunt, in carceres abducti, flagris in comitiis, non secus ac meretrices nostrae, caeduntur. Contra matronae ac virgines, hic absque vlla reprehensione incedentes per vias] reprehensione incedentes, per vias *A B;* reprehensione, incedentes per vias, *Elberling,* reprehensione incedentes per vias, *SS Kragelund* viros contemplantur, nutant, nictant, sibilant, vellicant, vocant, molestae sunt, fores elogiorum carbonibus implent, veneres suas impune iactant, ac tanquam totidem tropaeis superbiunt, quemadmodum petulantes apud nos iuuenes iactanter enumerare solent, quot virginum aut matronarum pudicitiam expugnarint. Porro matronis ac virginibus vitio non vertitur, si carmina amatoria et munuscula offerant adolescentulis: hi vero frigus ac modestiam simulant, cum contra decorum sit, vt adolescens petitioni et desiderio virgunculae statim annuat. Ingens eodem tempore erat motus
141 ob |filium senatoris, cuius pudicitiam violauerat virgo. Male ob istud facinus passim audiuit puella, et audiebam, inter se mussitare amicos iuuenis, in ius mox vocandam virginem, et a proximo Consistorio ad nuptias, ac reparationem honoris damnandam esse, in primis cum legitimis testimoniis euinci posset, inculpatae adhuc vitae fuisse iuuenem, quem ad amores illicitos pellexerat virgo.] *A,* virgo. Tunc ego mecum tacitus: O! terque quaterque beátam Europam nostram! maxime vero Galliam & magnam Britanniam, ubi sexus seqvior nomini respondet, ubi mulieres caece adeo virorum imperio ac voluntati obsequuntur, vt machinae potius aut automata, quàm substantiae libero arbitrio praeditae videantur. *B* Non ausus sum, dum inter iuniperos hos versabar, peruersam hanc consuetudinem palam damnare. At egressus vrbe praecipua, nonnullis indicaui, contra naturam

hic agi, cum e iure vniuersali et suffragiis omnium gentium constet, ad ardua et momentosa negotia formatum esse sexum virilem. Regerebant hi: confundere me consuetudinem et institutionem cum natura, cum infirmitates istae, quae in sexu muliebri notantur, e sola educatione deriuentur, id quod maxime patet e reipublicae huius statu ac forma, vbi in sexu muliebri enitescere videmus virtutes animique dotes, quas mares alibi sibi solis vindicant. Nam mulieres *Coclekuanae* modestae sunt,
142 graues, prudentes, |constantes ac taciturnae; contra viri leues, praecoces et loquaces. Hinc, cum quid absurdi narratur, prouerbium istud: *viriles esse nugas;* et, cum quid praecipitanter aut praemature actum est, dicunt incolae: *Dandam esse veniam impotentiae virili*. At, his argumentis acquiescere non potui; statum hunc peruersum, deformem ac naturae plane aduersantem iudicans. Indignatio ista, quam fastus hic muliebris animo impresserat, causa erat infelicis, quod paulo post reditum meum cepi, consilii, quodque tot mihi molestias peperit, vt suo loco dicendum erit.

Inter splendidissima huius vrbis aedificia erat gynaeceum regium, trecentis qua viris, qua adolescentibus speciosissimae formae instructum. Hi omnes alebantur sumptibus reginae, cuius deliciis inseruiebant. Cum audirem, formam corporis mei a nonnullis extolli, veritus, ne in gynaeceum istud a venatoribus abriperer, iter maturaui, et

> – – – *pedibus metus addidit alas*.

Huic principatui vicina est regio *Philosophica*, sic dicta ab incolis,
143 philosophiae ac subtilibus scientiis penitus immersis. |Flagrabam studio videndi terram, quam centrum omnium scientiarum et veram Musarum sedem mihi fingebam. Imaginabar non agros et prata, sed contiguum

> – *ac raris gemmantem floribus hortum,*

totusque in hac imagine gradum accelerabam, horas et momenta in digitos mittens. Semitae, per quas iter feci, lapidosae erant, ac fossis cauernisque impeditae, adeo, vt iam per loca abrupta, iam per coenosa, vsque] *B,* iisque *A* ad vmbilicum madidus, cum pontibus essent destitutae, saucios ac luteos traherem pedes. Sed molestiis his fortiter obnixus sum, satis gnarus, per aspera iri solere ad astra. Horae spatio cum his difficultatibus luctatus, obuium habui agricolam, quem comiter interpellans interrogo, quantum adhuc abessem a *Mascattia* siue Regione

Philosophica. Respondet ille: *Quaerendum potius, quantum itineris sit reliquum, cum iam in meditullio regionis versaris*. Attonitus hoc responso: *Qui fit,* dicebam, *vt terra a solis philosophis habitata, speciem*
144 *horrentium potius lustrorum, quam cultae regionis praebeat?* Regessit ille; terrae faciem breui fore meliorem, quam primum |tempus detur incolis, eiusmodi minutiis vacandi. Nunc, ait, solis coelestibus rebus intentos omnes id agere, vt iter quoddam ad solem detegant: Excusari proinde debere, si agros ad tempus incultos relinquant; haud enim facile esse, flare simul ac sorbere. Intelligebam mox, quo collinearet oratio versuti villici; et iter persecutus, tandem ad metropolin *Caskam* perueni. In portis ciuitatis pro custodibus anseres conspexi, gallinas, nidos auium et aranearum telas. Vrbis plateis porci ac philosophi passim inerrabant; sola hi corporis forma distinguebantur a porcis, caeteroquin sorde ac illuuie similes. Pallia eiusdem generis portabant omnes Philosophi; sed, quis color iisdem, discernere nequibam, cum puluere et luto essent obsita. Eorundem vnum, quem meditationibus defixum, recta ad me tendere videbam, ita alloquor: *Dic, quaeso, quodnam nomen huic vrbi, Magister!* Ille immobilis, inconniuens, tanquam secessu mentis atque animi facto a corpore, diu stabat; tandem vero ad coelum oculos tollens, respondet:
145 *Haud procul a meridie sumus*. Ineptum adeo |responsum insignem animi aberrationem indicans, persuasit, melius esse, parce studere, quam prae nimia doctrina delirare. Vrbis mox interiora penetraui, visurus, an praeter Philosophos, homines aut creaturas rationales] rationales, *A B;* rationales *Elberling,* rationales, *SS* forte inuenirem. Forum vrbis, quod valde spatiosum erat, diuersae ornabant statuae et columnae, titulis atque inscriptionibus distinctae. His accedebam, periculum facturus, ecqua forte epigrammata legere possem. Sed, dum in eo conatu desudo, tergum mihi incalescere, ac madidum fieri animaduertebam. Hinc retrospiciens, vt fontem calidi fluminis detegerem, conspicabar Philosophum, posteriora mea permingentem. Nam meditationibus abstractus, statuam me credidit, ad quam vesicam exonerare solebat. Tantae ego contumeliae impatiens, in primis cum philosophum istum albis insuper me dentibus deridere cernerem, palma excussissima alapam illi applicui. Quo facto, rabie ille percitus, in capillos meos inuasit, perque totum forum vociferantem traxit. At, cum iram satiari non posse viderem, statum praeliantis
146 composui, par pari referens, adeo, vt ratio |accepti et expensi inter nos quodammodo conueniret. Tandem, post acre certamen, cadimus ambo

athletae. Ad spectaculum istud accurrebant innumeri Philosophi, moreque furentium impetum facientes, pugnis ac fustibus articulatim caesum, animamque propediem agentem, totum circa forum capillis raptarunt. Caedendo tandem fessi, licet non satiati, ad spatiosam domum me ducunt, et, cum obnixis in ianuam pedibus obluctarer, meque ingressurum fidenter abnuerem, obducto me collo, ceu porcum mugientem, intro rapiunt, ac in medio pauimento supinum ponunt. Turbata omnia et confusa ibi erant, ac talis mihi visus est aedium status, qualis apud nos esse solet circa terminos Michaëlis aut Paschatis, vbi res mobiles, vasa ac vtensilia, in nouam domum transferenda, confuse proiiciuntur. Coeperam tunc sapientes nostros suppliciter orare, vt irae modum imponerent, et ad misericordiam se flecti paterentur, docens, quam indecorum esset philosophiae et sapientiae cultoribus, more
147 ferarum saeuire, et affectibus, contra quos declamare solent ipsi, nimium
indulgere. At, surdis |fabulam narrabam. Nam Philosophus iste, qui tergum mihi perminxerat, certamen integrabat, ac me miserum, quasi incudem, tot ictibus caedebat, vt videretur, non nisi morte mea placari posse. Didici tunc, nullam iram philosophica esse fortiorem, virtutumque commentatores longe ab earundem cultura abesse.

– – – Nec enim minor ira rebullit
Pectore in hoc, leuiorue exurit flamma medullas.

Tandem domum intrarunt quatuor Philosophi, quorum pallia singularem sectam indicabant. Iidem saeuientium minas, qua voce, qua manibus, interpellantes, sortem meam miserari videbantur: ac, postquam cum caeteris seorsum locuti fuerant, in aliam domum me transtulerunt. Laetabar ego, praedonum me manibus ereptum, in honestos viros incidisse, causamque harum turbarum rogantibus, fuse exposui. Subridebant illi ad fabulam adeo lepidam, dicentes, solitum esse Philosophis, in foro ambulantibus, ad statuas has mingere, ac verisimile esse, aggressorem meum, in meditationibus philosophicis defixum, pro
148 statua me |cepisse. Dicebant porro, eundem esse magni nominis
Astronomum, caeterosque, qui tanta rabie in scapulas meas saeuierant, Doctores esse philosophiae moralis. In portu me iam esse credebam, et omnis periculi securus, haec et alia narrantes cum voluptate audiebam. At, suspicionem quandam mouebat formae meae examinatio nimis curiosa: Porro quaestiones de vitae genere, itineris causa, et patria, toties

iteratae, nec non subsecuta secreta murmura, instantis mali praesagia erant. Verum mens prae timore mihi paene excussa fuit, cum in cameram quandam anatomicam compingerer, vbi proiectam videbam horrendam ossium et cadauerum struem, quae foedo totam odore implebant. Credebam mox latronum esse cauernam: sed quae e parietibus suspensa erant instrumenta anatomica, metum paulo diminuebant, cum exinde pateret, hospitem meum medicinae aut chirurgiae operari. Postquam semihorae spatio in ergastulo hoc solus torpueram, intrat matrona cum prandio, quod mihi parauerat. Valde humana videbatur, at attente me
149 aspiciens, per interualla suspiria |edidit. Quaerenti mihi doloris causam, respondet, instans mihi fatum suspiria haec elicere: *In honestam equidem domum*, ait, *venisti; nam maritus meus huius insulae dominus, publicus ciuitatis Physicus est, et Medicinae Doctor, caeterique, quos vidisti, eius collegae sunt. At iidem insolitam corporis tui formam mirati, decreuerunt, machinam interiorem ac viscera tua penitius examinare, dissectionemque corporis facere, visuri, ecquid noui detegant, quo anatomia illustrari queat*. Palpitantem animum haec verba percusserunt. Edito igitur horrendo clamore: *Qui,* inquam, *Domina! dici possint boni viri, qui honesti et innocui hominis ventrem findere non dubitant*. Tunc illa:

Non venit in mentem, quorum consederis aruis:

In honestos viros incidisti, qui malo animo nil facturi, solo anatomiae illustrandae studio, hanc operationem decreuerunt. Ad hoc regerebam, malle me a latronibus dimitti, quam ab honestissimis viris dissecari, moxque ad genua matronae prouolutus, manantibus vbertim lacrimis,
150 intercessionem illius implorabam. Respondet illa: |*Intercessio mea parum tibi proderit contra Facultatis conclusum, quod irreuocabile solet esse, at per aliud te medium morti subducere conabor*. His dictis, manu me prehensum] meprehensum *A B* , per pseudothyrum eduxit, ac trepidantem comitata est vsque ad portam ciuitatis. Tunc seruatrici meae valedicturus, verbis conceptissimis gratum animum, vti par erat, exprimere conabar, at prooemiari incipientem interpellans, se non abituram ait, antequam videret, me extra omne periculum constitutum, meque non reluctantem comitari pergit. Dum vna ambulamus, varii de statu huius regionis seruntur sermones, et auide ego omnia audiebam. At digressa est tandem ad narrationem, quae parum grata auribus meis erat, cum exinde

coniicerem, pro praestita illam opera poscere nonnulla, quae moraliter impossibilia mihi erant. Nam pathetice exposuit, iniquam in hac regione matronarum sortem, cum paedagogi hi philosophici, literis penitus sepulti, officia coniugalia prorsus negligant. “Possum, *ait*, iureiurando testari, actum de nobis fore, nisi vnus et alter honestus ac misericors
151 aduena miserias nostras |subleuaret, et malis, quibus excruciamur, medicas identidem admoueret manus.” Simulabam ego, non intelligere scopum, ad quem collineabat. Gradum addere coepi: at frigus meum aestuantis desiderium auxit. Hinc,

Consumptis precibus, violentam transit ad iram,
Intendensque manus, passis furibunda capillis

ingratum animum mihi obiecit. At, cum nihilominus ego iter persequor, laciniam togae meae apprehendens, obnitentem retinere moliebatur. Hinc vi adhibita, e manibus matronae me eripui, et, cum incessus celeritate praestantior essem, breui extra conspectum illius me proripui. Quanta tunc rabie accensa in me fuerit, ex his verbis, quae identidem euomuit, scil. *Kaki spalaki*, i. e. *ingrate canis*, didici. At dicteria illius Spartana nobilitate concoxi, laetus, quod ex hac sapientum terra, cuius absque horrore meminisse nequeo, saluus quodammodo euasissem.

Proxima huic prouinciae est *Nakir*, cognominem habens vrbem, siue
152 ingentem vicum, de quo multa dicere nequeo, cum |maxima, qua poteram, festinatione, regiones, terrae philosophicae vicinas, transcurrerem, ad gentes, philosophiae, in primis vero anatomiae, minus studiosas, properans. Tantus enim terror animum inuaserat, vt quemuis in itinere obuium, an Philosophus esset, interrogarem, et cadauera et instrumenta anatomica quiescentis animo diu oberrarent. Incolae vici *Nakir* valde affabiles mihi visi sunt: nam obuius quisque officium non petenti offerens, de honestate sua prolixe testabatur. Ridiculas sane iudicabam has contestationes, cum nullum suspicionis indicium dedissem, nec vllius integritatem vnquam in dubium vocassem. At, cum nonnullis indicarem, capere me non posse, cui vsui tot contestationes,] *B,* contestationes *A;* contestationes essent, *Elberling SS* easdem addito iureiurando integrabant] integrarent *A B;* integrabant *Elberling* . Egressum hoc vico, excepit viator tarde incedens, et sub pondere sarcinarum gemens. Subsistit ille me viso, ac vnde veneram] *A B;* venerim *Elberling Kragelund* , sciscitatur: Verum, vbi vicum *Nakir* me nuper transmisisse indicarem, gratulatur] *B,* glatulatur *A*

saluum me euasisse, cum incolae, technarum noti artifices, viatores deplumes a se dimittere soleant. Regerebam ego, si facta verbis 153 |respondeant, integerrimos esse debere, cum vnusquisque, haud rogatus, honestatem suam diris execrationibus praedicaret. Subridens tunc ille: *Caue*, ait, *ne nimium credas propriae integritatis praeconibus, inprimis vero iis, qui diabolum honestatis suae testem prouocant*. Admonitio ista alta mihi mente diu reposita est, didicique, recte monuisse subterraneum hunc virum. Hinc, quoties debitores de honestate iurant, contractum rescindo, ac mutuum reposco.

Emensus hanc regionem, stagnum fului coloris conspicor, ad cuius ripam parata stabat triremis meritoria, qua vectores in *Terram rationalem* modico pretio feruntur. Pactus de naulo triremem conscendo, summaque cum animi voluptate iter hoc explico: Quippe machinis quibusdam latentibus, absque ministerio remigum, impelluntur naues subterraneae, incredibilique celeritate aequora sulcant. Delatus in terram, mercenarium circumspicio, eoque duce ad ciuitatem rationalem propero. Dum iter carpimus, statum mihi ciuitatis, indolemque incolarum, comes
154 itineris luculenter exposuit. Audie|bam, ciues ad vnum omnes Logicos esse, et vrbem hanc veram esse rationis sedem, indeque nomen sortitam. Ciuitatem ingressus, vera esse, quae narrauerat, expertus sum. Quiuis enim ciuis, ob iudicii acumen, grauitatem, et compositos mores, senator mihi apparuit. Hinc, sublatis in coelum manibus: O terque quaterque beatam, ingemino, terram] beatam ingemino terram *A B; beatam,* ingemino, *terram Elberling Kragelund,* beatam ingemino terram *SS* , quae solos Catones parit. At, cum statum ciuitatis penitius perspexeram, multa hic segniter agi, et ob defectum stultorum rempublicam quodammodo languescere videbam. Nam, cum aequa mentis lance omnia ponderent incolae, et speciosis promissis, fucatis orationibus, et crepundiis nemo mouetur] *A B;* moueatur *Elberling SS Kragelund* , cessant ista media, quibus ad praeclaros, et reipublicae saepe salutares conatus, facile, et absque sumptu publico, animi subditorum acui solent.

Vitia ciuitatis, quae ab exacta ista rerum ponderatione fluunt, pathetice mihi explicuit minister quidam aerarii, et quidem his verbis: *Arbor ab arbore hic non nisi solo nomine et corporis specie distinguitur. Nulla inter ciues est aemulatio, cum nulla acquiri possit distinctionis*
155 *nota, et nemo |videtur sapere, cum omnes sint sapientes: Stultitiam fateor esse vitium, sed vt penitus exulet, non optandum. Sufficit cuiuis*

ciuitati, vt tot sint sapientes, quot sunt munera publica. Sint, qui regant,
sint, qui regantur. Id, quod meris nugis ac crepundiis efficiunt aliarum
societatum moderatores, noster hic magistratus non nisi solidis
praemiis, quae aerarium haud raro exhauriunt, perficit. Nam ob
praestitam patriae operam, nucleos poscunt sapientes, stulti vero
putamine placantur. Sic exempli gratia distributio honorum ac
titulorum, quibus tanquam hamis blandientibus capiuntur, ac ad
quosuis labores facile impelluntur stulti, parum operatur in ciuibus, qui,
sola virtute, ac valore interno, veram existimationem et solidum
honorem acquiri posse, iudicant, ac proinde speciosis promissis sibi
fucum fieri non patiuntur. Porro, mentio nominis post mortem in
annalibus victuri, ad quaeuis pro salute patriae subeunda stimulat
vestros milites: Nostri vero, mera haec esse aurium ludibria putantes,
phrasin istam sc. reuera mori, et in annalibus viuere, *non capiunt, cum*
156 *vanam credant non audituris gloriae praedicationem: Taceo innumera*
alia in|commoda, quae e nimio rerum omnium scrutinio fluunt, quaeque
satis monstrant, necesse esse, vt in republica bene constituta dimidia
saltem pars ciuitatis insaniat. Idem in societate est stultitiae effectus, ac
fermenti in stomacho: nam, aut nimio, aut nullo fermento laboramus.

Haec perorantem summo cum animi stupore audiebam: At, cum nomine senatus ciuitatem mihi offerret, in eaque domicilium figere, iteratis precibus hortaretur, rubore suffundor, suspicans, e concepta de stultitia mea opinione, petitionem hanc procedere, et fermentum me iudicari, quo opus esset reipublicae, nimia sapientia languescenti. In ista suspicione mox confirmabar, cum audirem, statutum esse senatui, ingentem ciuium numerum in colonias mittere, ac in supplementum abeuntium, totidem stultos e vicinis gentibus mutuari. Hinc ciuitate ratiocinante subiratus egredior. Diu vero animo obuersabatur axioma istud subterraneum, politicis nostris adhuc incognitum; quod sc. *in*
Republica bene constituta necesse sit, vt dimidia saltem pars ciuitatis
157 *insaniat*. Mirabar, praeceptum adeo salutare nostri or|bis Philosophos
tamdiu latere potuisse. At forsitan quibusdam innotuit, sed inter axiomata politica referre noluerunt, cum stultorum apud nos plena sint omnia, et nullus, absit inuidia, sit vicus, nedum ciuitas, quae saluberrimi huius fermenti defectu laborat.

Postquam temporis non nihil quieti dederam, itineri me reddens, peragraui regiones nonnullas, quas silentio praetereo, cum pauca ibi

insolita, et a vulgaribus rebus abhorrentia, occurrerent. Credebam tunc, finem esse rerum mirabilium, quas Globus *Nazar* producit. At, cum in terram *Cabac* dictam ingrederer, noua oculis sistuntur monstra, ac ea, quae fidem omnem excedere videntur. Inter huius regionis incolas nonnulli sunt acephali, sine capitibus nati. Iidem per os in medio pectore positum loquuntur. Hanc ob causam, et ob istud naturae vitium, a muneribus difficilioribus, et quae cerebrum poscunt, abstineant] *A B;* abstinent *ed1754 Elberling SS* , cum negotia maioris ponderis acephalis committi
158 nequeant. Officia ista, ad quae admitti solent, aulica plerumque sunt. Sic cambellani, aulae magistri, gynaeceorum praefecti, et ap|paritores plerique, e centuriis eorum, qui absque capite sunt, desumuntur. Ex iisdem etiam creantur pedelli, aeditui, aliique, quorum officia sine cerebro peragi quodammodo possunt. In Senatum quoque nonnulli, speciali magistratus fauore, et propter merita parentum, recipiuntur, id quod absque reipublicae detrimento nonnunquam fieri potest. Docet enim experientia, in paucis senatoribus totam residere senatus auctoritatem, caeterosque numerum tantum implere, ac ad ea signanda, aut subscribenda, quae ab aliis concluduntur, adhiberi. Ita hoc tempore in senatu vrbis duo erant assessores, sine capite nati, qui tamen senatoriis stipendiis fruebantur. Nam, licet sensibus, ob naturalem defectum, essent destituti, adsensum tamen dabant, et suffragia cum aliis ferebant, feliciores in eo collegis, quod nemo, qui causa excideret, acephalis succenseret, sed in caeteros omnem bilem euomeret. Et patuit inde, tutius interdum esse, sine capite nasci. Ciuitas haec paucis huius globi vrbibus magnificentia ac nitore cedit. Aulam habet, vniuersitatem, et splendida templa.

159 |In duabus, quas mox intraui, prouinciis, *Cambara* scilicet et *Spelek*, incolae omnes sunt tiliae. In eo vero differunt, quod illi ultra quatuor annos vitae tempora non extendant, his vero longe productius aeuum contingat, nam vulgo ultra quadringentos annos vitam protrahunt. Hinc multos videas auos, proauos, abauos et atauos; audias fabulas veteres sermonesque maiorum, cumque veneris illo, putes te ante aliquot saecula natum. Quantum illorum sortem miserabar, tantum hos felices praedicabam. At, postquam statum vtriusque gentis curatius examinaueram, iudicio me deceptum animaduerti. Prouinciae *Cambarae* talis erat facies. Quiuis incola, intra paucos a natiuitate menses, ad plenam, qua corporis, qua animi maturitatem excreuit, adeo, vt primus

annus formationi eiusdem sufficeret, reliqui vero viderentur concessi, vt morti se praepararent. Et cum ita res essent comparatae, speciem haec terra exhibuit reipublicae vere Platonicae, in qua omnes prorsus virtutes
160 maturuere. Nam, cum intuitu vitae breuitatis, quasi in procinctu semper starent, aspicientes aeuum |hoc tanquam portam, per quam ad alteram vitam subito transirent, ita futuri potius, quam praesentis status imago animis inhaerebat. Vnusquisque igitur tanquam verus Philosophus existimari potuit, qui rerum terrestrium securus, solum thesaurum duraturum et perennem, qui in virtute, pietate, et famae integritate constat, sectabatur. Vt breui praecidam, videbatur haec terra angelorum, aut sanctorum domicilium, ac vera schola, vbi virtus ac pietas optime doceantur. Exinde patet, quam iniqua sint murmura eorum, qui de breuitate vitae conqueruntur, eoque nomine quasi litem Deo mouent. Nam vita nostra breuis dici potest, quia maximam eius partem otio ac voluptate perdimus, longaque satis foret, si tempora melius locarentur.

At, in altera regione, vbi aetas vltra quatuor saecula producebatur, cuncta regnare videbam vitia, quae in genere humano notantur. Ante oculos tantum praesentia, tanquam aeterna, et nunquam peritura, versabantur.

Hinc fugere pudor, verumque, fidesque et honestum,
161 |*In quorum subiere locum dolus insidiaeque.*

Porro ex ista vitae longaeuitate alius nascebatur funestus effectus. Nam ii, qui casu bonorum iacturam fecerant, quique membris mutilati erant, aut in morbos inexplicabiles inciderant, aetatis longae moram tremulis vocibus solebant accusare, ac tandem necem sibi consciscere, cum ob vitae longaeuitatem nullum malorum finem viderent: Vitae enim breuitas miseris et afflictis efficacissimum est solatium. Vtraque regio materia admirationis meae fuit, indeque egressus sum plenus meditationum philosophicarum.

Iter persequor per loca abrupta ac deserta, quae ducunt ad terram innocentem, vulgo *Spalank*. Regio haec ita dicebatur ab incolarum innocentia, ac pacifica indole. Aesculi hi omnes erant, et omnium mortalium felicissimi habebantur: nullis enim affectibus ac passionibus erant obnoxii, ac proinde ab omnibus vitiis immunes,

Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebant.
Poena metusque aberant: nec verba minantia fixo

162 |*Aere ligabantur: nec supplex turba timebant*
Iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.
Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galeae, non ensis erant: sine militis vsu
Mollia securae peragebant otia mentes.

In terram hanc delatus, vera esse omnia, quae fama acceperam, comperi: ingeniis nempe, non legibus virtutes coli. Inuidiam, cupiditatem, iram, odium, superbiam, gloriae studium, discordiam, et cuncta, quae in genere humano notantur vitia, videbam proscripta. At simul cum vitiis deerant multa, quae mortales maxime ornare, et creaturas rationales a brutis distinguere creduntur. Praeter Theologiam, Physicam, et Astronomiam, omnes ignotae erant artes et scientiae: Iurisprudentia, Politica, Historia, Ethica, Mathesis, Eloquentia, multaeque aliae scientiae, ne nomine quidem illis notae. Et cum nullum inter eos locum obtinent inuidia, ac gloriae studium, nulla proinde erat aemulatio, quae ad magna ac praeclara quaeuis stimulare solet] solent *A B;* solet *Elberling* . Nulla erant palatia,
163 ac splendida aedificia, nulla |senacula aut fora, ac nullae opes, cum nullus esset magistratus, nullae lites, et nulla habendi cupido. Et vt paucis dicam: aberant vitia, et simul aberant elegantiae, artes, nitor, et innumera alia, quae virtutum nomine veniunt] *A B; Elberling* veneunt *in comm. proponit* , quae societates ciuiles commendant, ac quae cultos ac politos reddunt homines, adeo, vt in verum potius aesculetum, quam in societatem viderer delatus. Hinc dubius diu eram, quodnam de hac gente iudicium ferrem, ecquid status iste naturalis homini optabilis foret. Tandem vero, cum considerarem, praestare incultam, quam vitiosam vitam agere, ac cum ignorantia artium quarundam abesse latrocinia, furta, caedes, et alia, quae corpus cum anima saepe perdunt, felicem hunc statum agnoui. Dum per hanc regionem incautius ambulo, sinistri pedis crus, lapidi allisum, grauiter laeditur, ac intumescit. Conspicatus hunc casum villicus, illico accurrit, ac manu decerptam vulneri imponit herbam, qua subito mitigatur dolor, ac tumor residet. Exinde coniicere licuit, in arte medendi
164 excellere hanc gentem. Nec coniectura fefellit. Nam, cum in|tra limites adeo angustos coarctantur *Spalankorum* studia, cortice, velut polyhistores nostri, non contenti, penitius omnia rimantur. Cum medico meo ob praestitam hanc operam gratias agerem, ac Deum huius beneficii remuneratorem dicerem, tam solide, erudite, ac pie, licet dictione tenui et agresti, ille respondit, vt virum diuinum aut angelum, qui sub forma

arboris mihi apparuit, imaginarer. Patuit inde, quam inique succenseamus apathiae sectatoribus, quos, dum nihil cupiunt, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent, omnibus vehementioris animi officiis] *A B,* affectibus in comm. proponit *Elberling* amputatis, in corpore ignauae ac quasi eneruatae vitae consenescere credimus. Patuit vero magis, quantum errent ii, qui necessitatem quandam vitiorum mortalibus imponunt, qui iram fortitudinis cotem, aemulationem industriae calcar, diffidentiam prudentiae fomitem statuunt. Nam ex malis ouis non nisi mali corui nascuntur, et virtutes quam plurimae, quibus superbiunt mortales, et quas carminibus celebramus, dedecora potius sunt, quam ornamenta, si oculo philosophico easdem intueamur.

165 |Relicta hac terra, iter facio per prouinciam *Kiliac*, vbi incolae nascuntur cum certis fronti impressis notis, quae numerum annorum, ac viuendi spatium produnt. Felices quoque hos praedicabam, cum neminem improuisa mors, in ipso peccandi actu, opprimat. At, cum dies mortis vnicuique esset perspecta, poenitentiam in ultimum tempus prorogabant omnes. Hinc, si quem pium inter eos ac honestum videres, is erat, quem impressae fronti notae receptui canere iubebant.] *B,* iubebant *A* Videbam obstipis passim capitibus ire per vrbem nonnullos: omnes hi mortis candidati erant, qui dies ac momenta in digitos mittebant, ac cum horrore appropinquantem ultimam horam intuebantur. Hinc sapienter in eo etiam prouidisse creatorem videbam, et praestare iudicabam creaturis, vt mortis hora eas lateat.

Emensus hanc regionem, fretum quoddam,] quoddam; *A B;* quoddam, *ed1754,* quoddam *Elberling Kragelund,* quoddam, *SS* atri coloris, scapha transmisi, ac delatus sum in terram *Askarac*. Noua hic oculis sistuntur monstra: nam quemadmodum terra *Cabac* animantes generat sine capite, ita nonnulli
166 huius regionis incolae, septem capitibus distincti, in lucem |prodeunt. Insignes hi polyhistores sunt, quos caeteri olim ciues, ob tantum naturae beneficium, diuino propemodum cultu prosequebantur, adeo, vt ex solis eorundem centuriis imperatores, consules, senatores, quaestores desumerentur. At, cum quot capita illis sunt, tot diuersae indoles, strenue quidem et celeriter varia simul munera obierunt, nihilque, dum rempublicam gerebant, intentatum reliquerunt, sed ob istam simul polypragmosynen, et ob varias istas, et in vno incola pugnantes ideas, omnia misere miscebant, tantaque, procedente tempore, extitit rerum confusio, vt integri saeculi labore opus fuerit, ad componendas istas, quas

omniscius hic magistratus excitauerat, turbas. Cautum hinc lege est, vt aeternum a publicis ac momentosis negotiis arceantur septicipites, et vt respublica deinceps a solis simplicioribus, id est, iis, qui vnum tantum caput habent, geratur. Hinc, qui olim tanti ponderis viri, ac Diis proximi habebantur, in eodem iam fere statu sunt, quo acephali regionis *Cabac*.
167 Nam, veluti illi, cum omnino destituti sint capite, nihil agere possunt, ita hi, ob capitum mul|titudinem, omnia peruerse agunt. Igitur heptacephali nostri, ab omni munere publico remoti, in perpetua iam obscuritate consenescunt. Ornamento tamen reipublicae quodammodo inseruiunt. Histrionum enim instar passim circumducuntur, vt artes exhibeant, ac vt monstrent, quam munifica in iisdem formandis fuerit natura: at, si minus prodiga fuisset, sique vno solo capite donasset, longe benignior dici potuisset. E tota hac heptacephalorum gente, tres tantum eo tempore in officiis erant, sed ad munera ista non admissi fuerunt, nisi post amputationem sex capitum, quo fit, vt vno tantum capite remanente, confusae, quibus laborabant, ideae euanescant, et ad sensum communem redigantur. Veluti arborum putatores saepe ramos quosdam abscindunt, quo remanentibus maior concilietur sanitas. Pauci tamen ex heptacephalis istud tentamen, ob dolorem et mortis discrimen, subeunt. Didici hinc, omne nimium nocere, et veram prudentiam in simplicitate cerebri, et composita mente consistere.

Ex hac regione per loca deserta itur ad principatum *Bostanki*, cuius
168 incolae, |quoad externam corporis formam, parum differunt a *Potuanis*, intus vero istud habent anomalon, quod cor in dextro femore sit positum, adeo, vt vere dici possint corda in femoralibus gestare. Hinc inter omnes huius globi incolas, maxime timidi, et imbelles censentur. Aeger animi ob itineris molestiam, cum stabulum quoddam prope portam vrbis intrarem, lentum, ac moras nectentem cauponem acriter increpui. Ille vero in genua] *B,* ingenua *A* procumbens, lacrimis misericordiam implorabat, dextrumque femur tangendum praebuit, quo palpitationem cordis deprehenderem. Hinc ira in risum versa, lacrimas supplicantis detergeo, ac omnem metum abiicere iubeo. Surgens ille, manum meam osculatur, ac ad coenae officium digreditur. At, non ita multo post, gemitibus ac] At, non ita multo post gemitibus ac, *A B;* At non ita multo post gemitibus ac *Elberling,* At, non ita multo post gemitibus ac, *SS,* At, non ita multo post gemitibus ac *Kragelund* horrendo] *B,* horcendo *A* c *prima littera huius lineae fortasse cum prima littera sequentis lineae commutata fuit, cf.* Accurrens eiulatu tota personabat culina. Accurrens] *B,* Acrurrens *A tertia littera* r *prima littera huius lineae*

fortasse cum prima littera praeeuntis lineae commutata fuit, cf. horrendo ego, cum stupore
videbam, timidum nostrum cauponem flagellis ac pugnis in vxorem
ancillasque saeuientem. Viso me, in pedes se illico coniicit, ac aufugit.
169 Hinc ad plorantem familiam conuersus quaero, qua noxa, aut crimine,
virum adeo mansuetum, ad tantam iram prouocassent. Illae |vero, oculis
in terram defixis, tacitae diu stabant, dolorem indicare non ausae; me
vero quaerere pergente, ac precibus minas addente, ita fari exorsa est
matrona: "Haud satis perspecta, hospes! tibi videtur mortalium indoles.
Ciues huius principatus, qui armati hostis adspectum sustinere nequeunt,
et qui ad minimum strepitum foras] *A B;* foris *Elberling Kragelund* misere
trepidare solent, regnant omnes in culinis, et in familiam inermem saeue
grassantur: cum armatis bella non gerunt, inermes sint, quas oderint.
Hinc vicinarum gentium praedae, ac ludibrio exposita est respublica
nostra. At, in gente nobis vicina, cui tributum pendimus, alia est virorum
indoles: non, nisi cum armatis hostibus congrediuntur, foras] *A B;* foris
Elberling Kragelund imperant, sed domi seruiunt." Mirabar prudentiam
matronae, quam meliore sorte dignam iudicabam. Et postquam mores et
ingenia humani generis paulo curatius examinaueram, vera matronam
dixisse confessus sum, cum innumeris euincitur exemplis, non solum esse
170 Herculem, quem palla vxoris subegit, sed vulgo hanc fortium virorum esse
sortem, vt iugo muliebri colla patien|ter subdant: contra timidissimos, et
qui corda cum *Bostanki* incolis in femoralibus portant, in culinis esse
heroës. Gens haec sub clientela vicini populi, cui vectigalis est, perpetuo
viuit.

Relicta hac gente, aliam scapham conscendens, ducor ad terram,
Mikolac dictam. In] dictam, in *A B;* dictam. In *Elberling,* dictam, in *SS Kragelund (SS* dictam. In
in app. commendat) hac scapha furto mihi surripitur mantica. Postquam frustra
diu cum portitore, furtum pertinaciter negante, rixatus fueram,
magistratum loci adibam, indicans, ex quasi-maleficio saltem ad
simplicem rei restitutionem teneri portitorem, si actio depositi, aut furti
mihi negetur. Ille vero non solum negare praefracte pergit, sed insuper
calumniae actionem mihi intendit. In re adeo dubia testes poscit senatus:
at, cum nullos adducere possem, iusiurandum aduersario, quo se
purgaret, defero. Subridens ad vocem iurisiurandi, Praetor: "Nulla, *ait*,
hospes! hic religione adstringimur, soli nobis dii sunt leges patriae. Igitur
probationes eiusmodi fieri debent modis legitimis, vti expensi latione,
mensae rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, et

171 testium inter|cessione. Qui hisce destituuntur, non solum frustra agunt, sed et de calumnia damnantur. Testibus rem planam redde, et depositum tibi restituetur.” Ita ob defectum testium causa cadens, non tam meam, quam reipublicae huius sortem miseratione dignam iudicabam. Nam patuit inde, quam debiles et infirmae sint societates, si solis legibus humanis nitantur, et quam exiguae durationis sint aedificia ista politica, nisi religionis caemento firmentur. Triduum hic manebam, et interea temporis in perpetuo metu versabar. Nam, quamuis saluberrimae sint leges ciuitatis, et crimina grauissime puniantur; nulla tamen in gente athea, et omni religionis vinculo soluta, est, aut exspectari potest securitas, cum nulla non scelera, modo lateant, perpetrare non vereantur.

Relicta terra athea, et asperi montis iugo superato, deferor ad vrbem *Bracmat*, in planitie, ad montis radices sitam. Incolae huius vrbis iuniperi sunt. Primus, quem obuium habui, tota in me corporis mole ruens, humi supinum prostrauit, cumque causam huius aduentitiae quaererem,
172 veniam conceptissimis verbis rogat. |Mox alter palum, quem dextra] textra *A B;* dextra *ed1754,* textra *SS* tenebat,] tenebat. *A B;* tenebat, *ed1754* lateri praetereuntis impingens, elumbem] *B,* elubem *A* me paene fecit. Imprudentiam quoque hic causatur, ingenti verborum syrmate culpam deprecans. Caecam igitur aut luscam hanc gentem suspicatus, occursum praetereuntium solicite vitabam. At vitium istud oritur ex acuto nimis nonnullorum visu, quo fit, vt remotiora, quae alios latent, discernant, propiora vero, ac quae ante pedes posita sunt, prae nimia oculorum acie non videant. Hi vulgo dicuntur *Makkatti*, et studiis transcendentalibus, et astronomiae plerumque operantur. Nam in rebus terrestribus, ob lumina nimis arguta, nullius fere usus sunt, quoniam minutiarum perspicacissimi obseruatores, in rebus solidis caecutiant. In metallifodinis tamen examinandis opera eorundem vtitur respublica, nam qui terrae superficiem non vident, ea, quae sub cortice eiusdem latent, perspiciunt. Didici hinc dari nonnullos, qui ob lumen nimis lynceum caecutientes plus viderent, si minus acute viderent.

Superato abrupto ac difficillimi ascensus monte, terram ingredior
173 *Mütak*, cu|ius metropolis speciem praebet saliceti, cum incolas habeat salices. In forum delatus, robustum quendam iuuenem conspicor, sella patrocliana sedentem, ac misericordiam senatus implorantem. Sciscitanti mihi, quid rei esset, respondetur: maleficum esse, cui hodie decima quinta dabitur dosis. Perculsus hoc responso, digredior, solutionem

aenigmatis ab hospite meo paulo post petens. Ille vero ita fari exorsus est: “Flagella, stigmata, cruces et id genus alias poenas, quibus vicinae gentes scelera coërcent, penitus nos ignoramus, quippe vitia non tam punire, quam vitiosos emendare conamur. Noxius iste, quem in publica sella nuper sedentem vidisti, auctor est insulsus, qui ob pruritum scribendi, quem neque legibus, neque admonitionibus coërcere potuit senatus, iam publicae poenae, siue medicinae subiicitur, et pergent censores vrbis, qui omnes medicinae Doctores sunt, crebris purgationibus eundem macerare, donec fomite libidinis restincto scribere cesset.” Vix finito sermone ad publicum pharmacopolium ducor, vbi cum ingenti animi stupore, ordine
174 dispositas videbam pyxides, |his titulis signatas: PVLVIS AVARITIAE. PILVLAE LIBIDINIS. TINCTVRA SAEVITIAE. LENITIVVM, siue INFVSIO temperans contra AMBITIONEM. CORTEX contra VOLVPTATEM. etc. Exprimere non possum, quantas hae praestigiae cerebri vertigines mihi pepererint. Sed in ecstasin plane coniectus fui, cum viderem manuscriptorum quorundam fasciculos his titulis: SERMO MAG. PISAGI, CVIVS MATVTINA LECTIO SEX SEDES, SIVE RESOLVTIONES ALVI PRAESTAT. MEDITATIONES DOCT. IVKESI, QVAE. INSOMNIIS] IN SOMNIIS *A B;* INSOMNIIS *Elberling,* IN SOMNIIS *SS (SS* INSOMNIIS *in app. commendat)* MEDENTVR. etc. Valde igitur paradoxam hanc gentem videbam, et, vt virtutem horum medicaminum curatius examinarem, librum primum aperui. Insulse adeo erat scriptus, vt ad primae sectionis lectionem oscitarem, et, cum legere pergerem, murmura intestinorum, et mox tormenta sentirem. Hinc, cum optime mihi valenti purgatione alui non esset opus, abiecto libro, in pedes me coniicio. Videbam hinc, nihil in
175 mundo plane esse inutile, et libros maxime insipi|dos, non omni vsu esse destitutos. Didici porro, gentem hanc, licet mire paradoxam, non tamen plane stultam esse. Testatus est hospes meus, diris se insomniis diu vexatum, e sola Doct. *Iukesi* lectione conualuisse, tantamque huius libri esse virtutem, vt ipsam vigilantiam stertentem reddat. His et aliis auditis, miris cogitationum aestibus agitabar. At ne circuli pristinae meae philosophiae penitus turbarentur, terram ocius relinquo, et sane, quod commodum mihi accidit, diutius his cogitationibus immorari non permiserunt noua aliarum gentium prodigia, et occurrentia passim phaenomena. Defunctus vero itinere circa hunc globum, cum philosophiam *Mütacianam* curiosius rimarer, artem medendi, quam profitetur haec gens, non plane reiiciendam iudicaui. Saepe enim expertus sum, in Europa nostra dari libros, qui vomitionem, alui solutionem, aut

somnum legentibus pariunt. At, quod ad morbos animi attinet, principiis *Mütacianis* subscribere non sustineo, quamuis fatear, dari infirmitates corporis nonnullas, quas cum morbis animi confundimus, vti prudenter
176 monuit Poeta |quidam nostri orbis, subsequenti epigrammate:

Sexte, diu mecum morbo vexaris eodem,
Humores acres nos cruciare solent.
Cum mihi sit morbus circa praecordia versans
Exosus, querulus, difficilisque vocor.
At, te aegrotantem, plorant, miserantur] miserantur, *A B;* miserantur *Elberling,* miserantur, *SS (cf. epigramma III 6)* *amici,*
In pedibus morbi vis quia tota sedet.
Comiter excusant te, cum saltare recusas,
Immunem clamant, namque podagra] podogra *A B;* podagra *Elberling (cf. epigramma III 6)* *tenet.*
Inter conuiuas at me cantare negantem,
Fastosum, querulum, difficilemque vocant.
Cum minus ardua res tibi sit saltatio, Sexte,
Quam] *spatium ante hanc lineam deest in A* *sit cardiaco psallere saepe mihi.*

Relicta hac terra, et stagno quodam fului coloris traiecto, ad terram *Mikrok* adpellor. At, ciuitatem cognominem introiturus, portam clausam offendi. Hinc subsistere aliquamdiu cogor, donec a somnolento vigile, ferro et compagibus arctis obstructa, reseratur. Alta per totam vrbem regnabat quies, nisi quod stertentium stridor auribus ambulantis
177 obstreperet, |adeo, vt in somni verum domicilium, et quale fingunt Poëtae, delatus viderer. Hinc tacitus mecum: o vtinam hic nasci contigisset consulibus, senatoribus quibusdam, aliisque honestis in patria mea ciuibus, qui, cum pacis amantissimi sint, in beata hac vrbe, commode ac quiete vitam transigerent! E signis tamen ac titulis aedium, artes ac opificia coli, et iura exerceri patuit. Ducibus hisce titulis diuersorium detexi, cuius tamen nullus patebat aditus, cum fores essent clausae et oppessulatae: nam, quamuis sol medium coeli orbem traiecisset, nox erat incolis. Tandem, postquam crebris assultibus fores infestaueram, intromittor. Tempora hic in viginti tres distinguuntur horas, quarum nouendecim somno dantur, reliquae quatuor vigilio. Hinc mirum rerum tam publicarum, quam priuatarum neglectum suspicatus, cibi, quicquid

ad manum erat, ocius afferri iubeo, cum vererer, ne coquum in ipso
prandii apparatu nox opprimeret. At, cum cuncta hic compendio fiant, et
omne, quod superfluum est, reiiciatur, diecula *Mikrokianorum* satis
178 longa est, et rebus peragendis sufficiens. Post prandium, quod
|exspectatione citius mihi afferebatur, ab hospite per vrbem ducor.
Templum intrauimus, vbi habitus fuit sermo, breuis quidem, si temporis,
satis vero longus, si ponderis ratio habeatur. Statim ad rem accessit
orator, nullae erant ambages, tautologiae nullae, nihil superfluum, adeo
vt, si cum longissimis Mag. *Petri* sermonibus, qui nauseam mihi saepe
mouerunt, subterraneam hanc orationem comparem, altero tanto
copiosior est visa. Eadem breuitate res forenses expediuntur. Paucis
multa referunt aduocati, et testes mox examinandos proferunt. Memini
me tabulam initi nuper cum vicina gente foederis videre, quod conceptum
erat his verbis: *Amicitia perpetua erit inter populum Mikrokianum et*
Splendikanos] *A,* Splendikanas *B* . *Limites vtriusque imperii erunt fluuius*
Klimac, cum iugo montis Zabor. *Subscripsimus etc. etc*. Ita tribus lineis
absoluitur hic, quod integra volumina apud nos exposcit. Patuit hinc,
minori cum strepitu et temporis dispendio ad metam perueniri posse, si
superflua tollantur, vti dimidio breuiora viatori forent itinera, si recta
semper incedere liceret. Incolae huius vrbis omnes cupressi sunt,
179 |frontibus tuberosis ab aliis arboribus distinctae. At ista frontium tubera,
statis auctibus ac diminutionibus crescunt decrescuntque, et, cum
intumescere incipiunt frontes, grauedo sensim obrepens, vtpote
humoribus ab vlcere frontis in oculos descendentibus, noctem
appropinquantem indicat.

Vnius fere diei itinere ab hac terra dirimitur *Makrok*, siue vigilantium
regio: quippe incolis, nunquam dormientibus, perpetuum est peruigilium.
Vrbem ingressus, festinanti cuidam iuueni obuium me sisto, humillime
obsecrans, vt commodum mihi aliquod hospitium monstrare dignaretur:
ille vero occupatum se dicens, eodem impetu iter persecutus est. Tanta
omnium erat festinatio, vt per vrbis vicos ac regiones, non ambulare, sed
currere, aut volare viderentur, ac si metus esset, ne nimis sero venirent.
Hinc ardere vrbem, aut alio improuiso malo exterritos ciues suspicatus,
diu solus errabam, donec ad hospitium, quod suspensa ante fores tabula
indicabat, delatus sum. Videbam hic alios discedentes, ascendentes alios,
180 alios prae nimia festinatione cespitantes, adeo, |vt horae fere quadrantem
in atrio aedium starem, antequam intromitterer. Innumeris mox et

inutilibus quaestiunculis excipior. Quaerebat hic, cuias essem, quo tenderem, quam diu in hac ciuitate commorarer: ille, vtrum pransurus seorsum, an in communi, aut in qua stabuli cella, an in rubra, viridi, alba, an atra, an in superiori, an in inferiori domus contignatione, et eiusmodi generis alia. Hospes, qui simul curiae cuiusdam inferioris erat scriba, ad officium prandii digressus, paulo post reuertitur, ingentique verborum syrmate processum mihi litis, quae decem iam annos durauerat, quaeque iam coram foro decimo quarto agebatur, exponit. Spero, ait, intra biennii spatium terminandam fore, cum duo tantum supersint fora, vltra quae nulla datur appellatio. Attonitum me hac narratione reliquit, et patuit inde, in nihilo agendo hanc gentem esse occupatissimam. Dum aberat hospes, aedes passim circumreptans, in bibliothecam quandam incidi. Ampla satis ac instructa erat, si numerum, tenuis vero ac inops, si pondus librorum spectes. Inter libros, qui nitidissime compacti erant, notabam sequentes:

181 |

1) Descriptio Templi Cath. 24 vol.
2) Obsidio arcis Pehunc - - 36 vol.
3) De vsu herbae Slac - - 13 vol.
4) Oratio fun. in obitum Senatoris Iacksi, 18 vol.

Reuersus hospes, statum mihi vrbis delineauit, vnde conieci, plura a dormientibus *Mikrokianis*, quam a perpetuo vigilantibus *Makrokianis* peragi negotia, cum nucleos illi arripiunt, hi vero in cortice et putamine ludunt. Sunt quoque cupressi huius regionis incolae, et externa corporis specie, si frontium tubera excipias, parum a *Mikrokianis* differunt. Sanguinem tamen aut succum non habent, qualem aliae huius globi animatae arbores. At loco sanguinis per venas fluit crassior quidam liquor, qui virtute mercuriali praeditus est. Et sunt, qui verum ac genuinum mercurium autumant, cum in thermometris eundem effectum producat.

Bidui itinere ab hac terra distat respublica *Siklok*, quae in duas foederatas societates, sed sub diuersis ac oppositis legibus viuentes, subdiuiditur. Prima dicitur *Miho*, condita a *Mihac*, insigni olim
182 legislatore, et] *B,* sed *A* inter subterraneos altero Ly|curgo. Legibus hic in primis sumptuariis rempublicam firmaturus, omnem luxum seuere cohibuit. Hinc societas ista, ob continentiam, ac parsimoniam, noua dici meretur Sparta. At mirabar, in republica optime constituta, et legum

praestantia superbiente, tot dari mendicos: nam, quocunque se vertebat oculus, arbor erat stipem petens, adeo, vt nullum iter viatori sit molestius. Curatius statum reipublicae perpendens, didici, ex ipsa incolarum continentia miserias hasce fluere. Omni enim luxu proscripto, et opulentioribus genium defraudantibus, desidem, inertem, ac mendicam vitam agit plebs, cum nihil habeat, vnde quaestum faciat] faciet *A B;* faciat *ed1754 Elberling SS Kragelund* . Didici hinc, tenacitatem ac parsimoniam eundem in rebus politicis effectum, quem obstructio sanguinis in corpore humano parit, producere.

In altera societate, cui nomen *Liho*, laute ac genialiter viuitur, ac nullis sumptibus parcitur. Hinc artibus opificiisque passim florentibus, ad labores, quibus non solum paupertatem expugnare, sed et ditescere queant, ciues] queant ciues, *A B;* queant, cives *Elberling* acuunt. Et, si quis paupertate
183. prematur, propriae desidiae in|digentiam imputet, cum quaestus faciendi nulla desit occasio. Ita opulentiorum profusio toti ciuitati animam dat, non secus, ac circulatio sanguinis membra corporis roborat, ac vegeta reddit.

Huic regioni contermina est *Lama*, Medicorum celeberrimum domicilium. Tanto ibi studio ars medendi excolitur, vt genuinus Medicinae Doctor nemo censeatur, nisi illustrem *Lamae* scholam frequentauerit. Hinc tanta Doctorum multitudine oppleta est vrbs, vt facilius sit Doctores, quam homines inuenire. Integras quoque plateas occupant pharmacopaeorum tabernae, et instrumentorum anatomicorum officinae. Dum semel otiosus per vrbem ambulo, obuiam habui arbusculam, catalogos defunctorum huius anni venales offerentem. Videbam non sine stupore, natas superiore anno centum quinquaginta arbores, at sexcentas esse mortuas. Capere sane non poteram, in ipsa Apollinis arce, tantam quotannis fieri posse ciuium stragem. Bibliopolam proinde rogo, ecqua insolita tabes aut pestis vrbem superiori anno
184. depopulata fuisset? respondet ille, duobus abhinc annis plures |fuisse defunctos, solitam hanc esse proportionem inter natos ac defunctos, horumque numerum triplo plerumque esse maiorem, cum incolae huius vrbis perpetuis vexentur morbis, qui mortem accelerant, adeo vt, ni quotannis supplementa mitterent prouinciae, breui vacuam fore vrbem. Hinc iter maturaui, inconsultum ducens, diutius hic haerere, maxime, cum nomen Medici, et aspectus instrumentorum anatomicorum, post ea, quae in terra philosophica acciderant, nondum animo excidissent. Igitur

relicta hac terra, in itinere non substiti, antequam ad vicum, quater mille passus inde distantem, venirem, vbi incolae absque medicis, et simul absque morbis viuunt.

Post bidui iter in terram liberam delatus sum. Singuli huius terrae incolae sui iuris sunt, et constant e familiis segregibus, nullis neque legibus, neque imperiis subiectis, speciem tamen societatis seruant, et in re communi consulunt seniores, qui ad pacem ac concordiam perpetuo hortantur, et de primario isto naturae praecepto, scilicet, *quod tibi non*
185 *vis fieri, alteri ne facias*, admonent. Cunctis |vrbium ac vicorum portis caelata stabat libertatis effigies, vincula catenasque calcans, cum hoc epigrammate: AVREA LIBERTAS. In prima, quam intrabam, ciuitate, omnia satis tranquilla videbam, at certis fasciis distincti incedebant ciues, quae notae ac symbolae erant factionum, in quas tunc descripta erat ciuitas. Aditus potentiorum domuum armatis obsepti erant custodibus, et omnes quasi in procinctu stabant, cum finitis induciis bellum postridie recrudesceret. Hinc trepidus aufugiebam, nec liberum me credebam, antequam extra conspectum liberae terrae me proripueram.

Proxima huic terrae est *Iochtana*, ad cuius descriptionem exhorrui, cum omnia turbata magis, intuta, et confusa crederem, quam in terra libera. Erat enim haec regio omnium religionum sentina ac colluuies, et cuncta, quae per totum hunc planetam sparsa erant dogmata, hic, tanquam in centro reperta, publice docebantur. Igitur ad animum reuocans, quot fluctus in plerisque Europae societatibus ciere soleat
186 religionum diuersitas, vix ausus sum ingredi metropolin *Ioch|tansii*, vbi, quot regiones, vici ac plateae, tot templa, diuersae, ac oppositae sectae numerabantur. At euanuit mox timor, cum summam vbique regnare viderem concordiam, nullis ruptam querelis. Vna in rebus politicis erat facies, vna omnibus mens, vna quies, vnus labor erat. Nam, cum poena capitali sancitum esset, ne alter alterius sacra turbaret, aut alter alteri] alteri, *A B;* alteri *Elberling,* alteri, *SS Kragelund (SS* alteri *in app. commendat)* ob dogmatum diuersitatem succenseret, dissensio erat absque hostilitate, disputatio absque altercatione, et nullum enasci potuit odium, quia nulla erat persecutio. Tantum perpetua, sed honesta inter dissentientes erat aemulatio, cum quaeuis secta, vitae et morum sanctitate, religionis suae praestantiam euincere conaretur. Igitur cura magistratus effectum est, vt dogmatum diuersitas non maiores hic moueret turbas, quam diuersae in foris mouere solent mercatorum tabernae, aut opificum officinae, quando

sola mercium, aut opificiorum bonitate, emptores alliciunt, nulla adhibita
187 fraude, nulla violentia, aut obtrectatione, quo fit, vt cuncta, quae enasci queant, discordiarum semina suffocentur, ac sola foueatur ho|nesta, et reipublicae salutaris aemulatio. Hinc patuit, non e religionum varietate, sed e sola persecutione turbas, quae alibi regnare solent, oriri. Mores huius gentis, indolem regiminis, et causas tranquilli status, fusius mihi exposuit Literatus quidam *Iochtanensis*, auideque ego perorantis verba excipiens, alta mente reposui. Diu quidem obiectionibus meis dicenti obstrepebam, tandem vero victas dare manus cogebar, cum insigni adeo experimento theses suas euinceret. Igitur non sustinens fidem sensibus abnuere, ac id, quod res facti erat, praefracte negare, libertatem credendi, verum huius tranquillitatis, ac concordiae fontem agnoscebam: at, alio pugnae genere aduersarium adortus, officium aiebam esse legislatorum, in rebuspublicis condendis, futuram potius, quam praesentem mortalium felicitatem, et non tam id, quod mortalibus in hac vita conducit, quam quod Creatori placeat, respicere. Tunc ille hunc in modum fari exorsus est: "Falleris, hospes! dum Deum, veracitatis fontem, fucato cultu ac
188 hypocrisi delectari credis. In gentibus aliis, vbi ad certam credendi |normam publica omnes auctoritate adstringuntur, fenestras aperiri videmus ignorantiae aut simulationi, cum nemo nec velit, nec audeat, veros animi sensus depromere, sed plerique aliud lingua profitentur, aliud in pectore seruant. Hinc frigida adeo Theologorum studia, ac veritatis detegendae neglectus: hinc etiam profanae eruditionis cultus, cum ipsimet sacerdotes, ne infami haereticorum titulo notentur, a meditationibus sacris abstineant, ac ad alia studia, quae minori cum discrimine excolere possunt, ac quae tot compedes libertati non iniiciunt, deflectant. Damnari vulgo solent omnes, qui a regnanti quadam opinione discedunt. Hypocritas vero ac simulatores improbat Deus, cui erroneus candor antiquior est verae, sed simulatae fidei professione." His auditis, subticui, cum gente adeo arguta disputandi aleam inire non sustinens.

Duorum fere mensium spatium itineri huic insumseram, cum tandem *Tumbac*, regionem principatui *Potuano* confinem, intrarem, quam
189 tanquam patriam intuebar, cum molesto itinere iam prope de|functum me viderem. Incolae huius regionis maximam partem oleastri sunt, gens deuota admodum ac aspera. In primo, quod intrabam, stabulo, binas fere horas ieiunus stare cogebar, ientaculum, quod frustra saepe flagitaueram, expectans. Causa cunctationis erat intempestiua hospitis religio, cum

manum operi admouere nollet, antequam preces matutinas absoluisset. Defunctus solito pietatis officio,

Tandem intrans, magno porrexit murmure panem,
Pallidus, et caulem misero mihi ponit olentem
Lanternam] *Lanteram A B; Laternam Elberling Kragelund, Lanternam SS* . – – – –

At, ientaculum istud impendio mihi stetit, et testor, in deuotum magis, magisque simul immitem cauponem me nunquam incidisse. Hinc ita mecum: satius esse parcius precari, et paulo largius opera pietatis exercere. Dolorem tamen dissimulabam, satis gnarus, periculum esse, coelestibus animis crabrones irritare. Quot ciues in hac vrbe, tot rigidi Catones, ac morum erant censores. Cuncti per plateas ambulant obstipis
190 capitibus, ac demissis ra|mis, contra vanitatem mundi perpetuo declamantes, ac quamuis innoxiam voluptatem damnantes: omnia enim seuere reprehendunt vsque ad gestus et risus, perpetuisque censuris, ac atra verborum fuligine, sanctitatis nomen ementiuntur omnes. Et cum fessus ego, et exhaustus tot laboribus, innoxiis ludis animum fouere ac erigere vellem, male eo nomine passim audiebam, adeo, vt quaeuis domus rigidum mihi tribunal, coram quo peccatorum confessio fieret, videretur. Nonnulli, cum monitis ac castigationibus parum me moueri viderent, tanquam pestem, aut aliam aeque contagiosam luem, me fugiebant. In morositatem huius gentis fusius commentari supersedeo: afferam vnum tantum exemplum, quod *Tumbacorum* characterem graphice exprimit, et vnde de caeteris facile fiat coniectura. Oleaster quidam, olim, dum vterque *Potu* fuimus, mihi familiaris, me forte cauponam quandam praetereuntem conspicatus, intrare iubet. Et cum audiuisset, genio me nonnihil indulgere, tanta acerbitate] *B,* acerbitate *A* in mores et vitam meam inuectus est, vt comae mihi stare, membraque tremere coeperint. At, dum
191 ista fulmina vibrat |Cato noster, vnum atque alterum poculum identidem hausimus, donec ebrii ambo in terram supini cadimus, et ab accurrentibus domum semimortui trahimur. Exhalata crapula, cum experrectus ad me ipsum redirem, indolem huius religionis serio examinabam, ac patuit tunc, zelum gentis] zelumg entis *A* , e vitiosis potius humoribus, ac bile, quam a vero pietatis motu, fluere. Nemini tamen hic mentem meam indicaui, sed tacitus paulo post abii.

Post duorum mensium intercapedinem, domum tandem redii, valde fatigatus, nam succisi e continua ambulatione poplites, vix membra

sustinebant. Ingressus vrbem *Potu* decimo die mensis Esculi,
ephemerides meas principi statim humillime obtuli, quas sua Serenitas
mox typis euulgari iussit. (Notandum est, typographiae artem, cuius
inuentores se iactant Europaei ac Seres, longe antiquiorem hic esse.)
Itinerarium *Potuanis* ad palatum adeo fuit, vt crebra eiusdem lectione
satiari nequirent. Currebant per cunctas vrbis regiones ac vicos cum hisce
192 ephemeridibus arbusculae, vociferantes: ITINERARIVM CVRSORIS AVLICI
SCABBAE |CIRCA TOTVM ORBEM. Hoc ego successu tumidus, ad maiora
adspirare coepi, munus quoddam magni ponderis mihi pollicitus. At, cum
spe mea deceptum me viderem, nouam Principi insinuaui petitionem, in
qua labores meos extollens, debitum meritis meis hostimentum flagitaui.
Princeps, vt erat pius ac benignus, precibus meis mouetur, curamque se
mei habiturum gratiose promittit: stetit equidem promissis, at totus fauor
in annui mei stipendii augmentum terminabatur. Aliam ego laborum
compensationem speraueram, quocirca isto fauore acquiescere nequibam.
At, cum crebrioribus petitionibus Principem fatigare non sustinuerim,
magno cancellario dolorem, qui circa praecordia versabatur, exposui.
Solita querelas meas humanitate excepit prudentissimus vir, operam
suam pollicitus, sed monuit simul, vt desisterem a petitione adeo absurda,
iussit me buccae meae mensuram nosse, ac tenuitatem iudicii metiri:
“Naturam, ait, nactus es nouercam, et desunt tibi animi dotes, quibus ad
193 momentosa reipublicae negotia panditur iter. Sequi non debes, quae
|assequi nequeas, aliorum] *A B;* ne aliorum *Elberling Kragelund* naturam imitaturus,
omittas tuam. Porro, si ea, quae stulte petis, obtineres, Principem, ait, eo
nomine male auditurum, ac leges infringendas: acquiescere igitur sorte
tua, ac spem, cui natura refragatur, abiicere debes.” Fatetur quidem
merita mea, et extollit labores, quos nouissima peregrinatione subierim:
at, non eiusmodi, ait, esse merita, quae ad munera reipublicae viam
sternunt; nam, si ob quemuis laborem, ob quoduis meritum, ad summos
honores deberetur promotio, quiuis opifex, pictor, aut sculptor, ob
dexteritatem in statua fingenda, aut tabula pingenda, senatoriam
dignitatem, tanquam laboris praemium, sibi deberi contenderet. Merita
quidem remunerari debere, at danda esse praemia merentibus
conuenientia, ne respublica quid detrimenti capiat, aut ludibrio
exponatur. His admonitionibus motus, rursus aliquandiu silui. At, cum in
vili adeo occupatione canescere, nimis durum atque acerbum mihi esset,
desperatum istud, quod intermiseram, resumo consilium, reformationem
194

aliquam in rebus politicis meditatus, |quo nouo aliquo commento, et reipublicae inseruirem, ac proprio meo commodo simul prospicerem.

Paulo ante nouissimum iter, statum huius Principatus studiose examinaueram, visurus, ecquid vitia, quibus maxime laborabat, detegerem, ac simul, quaenam remedia essent adhibenda. E statu Prouinciae *Coclekuanae* didiceram, nutare rempublicam, ob mulierum ad munera publica admissionem, cum eaedem natura ambitiosae, auctoritatem et potentiam in infinitum extendere laborent, nec quiescant, antequam plenum ac absolutum imperium sibi acquisiuerint. Hinc ferre decreui rogationem, de excludendis, ab administratione munerum publicorum, mulieribus, sperans, me non paucos suffragatores reperturum, cum rem liquidam facere, et mala, quae exinde queant nasci, ac in quantum discrimen adduci possit sexus virilis, ni impotentiae muliebri mature nerui incidantur, ante oculos omnium ponere facile mihi foret. Et, si consuetudinis huius plena abolitio nimis ardua plerisque videretur, refraenandam saltem, et coarctiorem reddendam esse
195 |potentiam muliebrem, contenderem. Legis huius suasionis triplex erat scopus. 1) Viderer mederi velle vitio, cui respublica erat obnoxia. 2) Nobili ac prudenti commento iudicii ac ingenii specimen exhibendo, sortem meam paulo meliorem redderem. 3) Vlciscerer iniuriam, a mulieribus mihi illatam, et maculam, ab iisdem mihi saepius aspersam, diluerem. Nam fateor lubens, proprium commodum, aut vindictae desiderium, huius consilii praecipuum fuisse fomitem. Mentem tamen callide dissimulabam, ne sub praetextu publici commodi, proprio tantum velificari, ac aliorum vestigia premere viderer nouatorum, quorum consilia vtilitatem plerumque publicam prae se ferunt, quamuis curiosius rimantibus appareat, proprium commodum, primum ac praecipuum esse argumentum, quo impelluntur.

Consilium istud, ea, qua poteram, arte formatum, efficacissimisque rationibus munitum, humillime Principi obtuli. Ille, cum singulari me semper prosecutus esset fauore, obstupuit ad audax adeo et stolidum
196 inceptum, quod perniciem mihi |allaturum ominabatur. Quocirca precibus a molimine isto me deterrere conatur,

– – *precibusque minas regaliter addit.*

Mihi vero, freto non minus commenti vtilitate, quam fauore totius sexus virilis, quem causam communem non deserturum sperabam, mens

immota manebat, adeo, vt nullis admonitionibus euerberari pertinacia potuerit. Hinc, secundum legem gentis, ad forum cum laqueo abstrahor, expectaturus ibi senatus iudicium. Coacto senatu, et latis suffragiis, sententia ad Principem mittitur confirmanda, ab eoque remissa, voce praeconis enunciatur, his verbis:

"Habito maturo examine, iudicamus: Legem D. Scabbae, cursoris aulici primarii, de excludendo a muneribus publicis sexu sequiori latam, perferri non posse, nisi summo cum totius reipublicae detrimento, cum dimidia pars gentis, quae e sexu muliebri constat, hanc innouationem aegerrime sit latura, ac reipublicae proinde molesta, ac infensa reddatur. Porro existimamus, iniquum esse, praeclarae indolis arbores ab
197 honoribus, quibus se dignas praebent, |omnino remouere, maxime, cum constet, a natura, nil temere agente, tot egregiis dotibus incassum easdem non esse ornatas. Credimus, salutem reipublicae poscere, vt ingeniorum potius, quam nominum respectus, in promotionibus habeatur. Et, cum saepe inopia hominum strenuorum laboret regio, stultum esse, vno edicto, vel senatusconsulto, totam dimidiam partem] *B,* partem, *A;* partem, *SS* ob solam nascendi sortem inhabilem, et officiis indignam pronuntiare. Hinc re serius pensitata, praedictum Scabbam] Scabba *A B;* Scabbam *Elberling Kragelund,* Scabba *SS* ob stultum adeo, ac temerarium consilium, more maiorum plectendum, iudicamus."

Grauiter hunc casum tulit Princeps, at, cum nunquam rescindere soleret senatusconsultum, sententiam propria manu subscriptam, et solito sigillo firmatam, publicari iussit, addito tamen hoc temperamento, vt, quoniam alienigena essem, ex nouo scilicet et incognito oriundus orbe, vbi praecox ingenium inter virtutes ponitur, possem eo nomine a supplicio capitali liberari. At, ne poenae remissione leges infirmarentur,
198 in carcere custodirer, vsque ad initium mensis Betulae, |et tunc, cum aliis legum violatoribus, ad firmamentum ablegarer.

Sententia publicata, in carcerem compingor. Suasores mihi tunc erant nonnulli amicorum, vt contra sententiam hanc protestarer, cum inter iudices meos tot matronae aut virgines fuissent, quae in propria causa iudicassent. Aliis vero tutius videbatur, culpam agnoscere, factumque stoliditate natiua, ac gentilitia excusare. At, consilium hoc constanter reieci, idque respectu hominum superterraneorum, quorum existimationi tali confessione non leuis macula inureretur.

Audiui mox, decreuisse Principem, ab omni me poena liberare, modo simpliciter gratiam illius implorassem, delictique veniam petiissem, quamuis *Rahagna*, siue aerarii praefecta, manibus pedibusque libertati meae obniteretur. At, vt verum fatear, sententiam non aegre ferebam. Nam munus istud, quod exercebam, morte mihi acerbius erat, ac pigebat, me diutius conuersari cum arboribus hisce, nimia sapientia turgidis. Sperabam quoque, meliorem sortem in firmamento, vbi omnes, sine discrimine, aduenas benigne recipi audiueram.

199 |

CAPVT X.
ITER AD FIRMAMENTVM.

Nihil a me hactenus dictum est de stupenda ista ad firmamentum relegatione, quocirca hic, tanquam loco maxime idoneo, itineris huius conspectum dabo. Solent bis quouis anno apparere alites quaedam, inusitatae magnitudinis: dicuntur hae *Cupac*, (siue] siue *A B* Postvögel,)] (Postvögel,) *A B* quae statis temporibus veniunt, ac reuertuntur. In stati huius reditus ac abitus causis detegendis, diu desudarunt Physici subterranei. Quidam putant, illectas insectis quibusdam, aut ingentis magnitudinis muscis, quarum hoc anni tempore ingens est prouentus, et quarum appetentissimae sunt hae alites, in planetam hunc descendere, nec me poenitet horum sententiae esse. Rem liquidam inde fieri putant, quod euanescentibus his muscis, statim versus firmamentum reuolent. Istud ductu quodam naturae fieri posse, euincitur exemplis aliarum auium, quae statis temporibus pro|cul dubio, iisdem ex causis, in certis terris
200 apparent. Alii credunt, alites has ab incolis firmamenti ita esse instructas, ac exercitatas, vt emitti ab iisdem queant tanquam falcones, ac aues venaticae, praedam ab aliis terris reportaturae. Nititur hypothesis haec extrema ista solicitudine ac dexteritate, qua vtuntur itinere hoc defunctae, cum praedam, siue vectores deponant. Monstrant quoque ex aliis circumstantiis, aut studio instructas esse has aues, aut rationis non expertes: nam, cum abeundi tempus instat, mansuetae adeo et cicures redduntur, vt iniici sibi patiantur retia, aut plagas, sub quibus quietae ac immobiles aliquot dies latent, intereaque, quasi e manibus incolarum,

pascuntur insectis, quorum ingens eum in finem coacta est copia. Nam opus est, vt hac esca retineantur, donec praeparentur ea, quae in exilium abituris sunt necessaria. Apparatus huius profectionis hunc in modum fieri solet: Plagis istis, quibus illaqueatae tenentur alites, casula siue arca restibus firmata annectitur. Quaeuis arca vnius tantum arboris siue
201 hominis est capax. Appropinquante iam profectonis tempore, |et deficientibus insectis, quae pabulo auium inseruierant, pennis assurgunt alites, ac per aetheris regionem iter remetiuntur. Talis erat mirabilis haec vectura, qua mihi cum aliis captiuis opus erat in nouum orbem transferendis. Tunc temporis in procinctu itineris mecum stabant duo ciues *Potuani*, qui ob alia crimina exilio damnati erant. Horum alter erat Metaphysicus, qui legem infregerat, disputando de essentia Dei, et spirituum natura. Audaciam hanc poena venaesectionis expiauerat, mox vero cum deprehensus fuisset in proposito persistere, relegatus ad firmamentum fuerat. Alter Fanaticus erat, qui dubia de rebus sacris] sacris, *A B;* sacris *Elberling,* sacris, *SS Kragelund* et iure potestatis ciuilis mouendo, vtriusque fundamenta subruere videbatur. Legibus hic publicis parere noluit, obedientiam ciuilem conscientiae suae aduersari causatus. Tentarunt amici, efficacissimis argumentis hanc pertinaciam expugnare, monstrando, quot illusionibus conscientiae dictamina] *B,* dictamia *A* , ac imaginariae inspirationes sint obnoxiae: saepius aiebant, zelum, conscientiam, aut inspirationem, cum melancholia, aut corruptis corporis
202 humoribus confundi, monstra|bant porro, quam stolidum sit, ad auctoritatem conscientiae prouocare, et quam iniquum, contendere, vt motus animi mei norma credendorum sit aliis, qui iisdem argumentis vti, et conscientiam conscientiae opponere queant. Tandem ostendebant, neminem, qui huic] *A,* hinc *B* principio mordicus adhaeret, conscientiae velum tenacitati obtendens, iure ciuitatis frui posse, cum boni ciuis sit, caece legibus publicis obsequi, obedientiam vero talem praestare, nec velle, nec posse fanaticum, cui sola in rebus politicis norma sit animi dictamen. At, cum argumenta et probationes parum operentur in fanaticis, tanquam obstinatus, et incorrigibilis proscribitur, et ad firmamentum relegatur. Ita eodem tempore tres fuimus, huic itineri destinati, scilicet Nouator, Metaphysicus et Fanaticus.

Circa initium mensis Betulae, singuli e carcere ad loca separata ducimur. Haud mihi constat, quid collegis meis porro contigerit; nam de me ipso tantum solicitus, alia non curabam. Perductus ad locum

203 destinatum, statim in arcam, siue casulam trudor, cum alimento,
quantum iti|neri aliquot dierum sufficere poterat. Non ita multo post,
cum nullum sibi pabulum afferri senserint alites, de abitu quasi
admonitae, globum relinquunt, incredibili celeritate aethera secantes.
Credunt vulgo subterranei, centum milliarium] *A,* miliarium *B;* miliarium *Elberling Kragelund* spatio planetam *Nazar* a firmamento diremptum. At, quantum
temporis itineri insumpserim, dicere nequeo, visa vero est nauigatio haec
aetherea viginti quatuor horas durasse. Post diuturnum silentium tandem
confusus clamor aures meas ferire coepit, vnde coniiciebam, haud procul
a terra me abesse. Videbam tunc, studiose instructas ac exercitatas esse
has alites; nam tanta cura ac arte arcam terrae imposuerunt, vt illaesa
omnino manserit. Ingenti mox multitudine simiorum cingor, quorum
adspectus metum mihi haud leuem incussit, quoniam ab his animantibus,
in planeta *Nazar*, maxime fueram vexatus. Augetur iniectus stupor, cum
simios hosce sermones serere audirem, cumque versicoloribus indutos
vestibus, compositisque gradibus incedere conspicerem.] *B,* conspicerem *A*
204 Coniiciebam tunc, incolas huius terrae esse. At, quoniam in ista rerum,
quibus iam du|dum insueueram, paradoxarum farragine, nihil nouum
amplius ac insolens videri debuerit, animum resumo, maxime, cum
viderem, simios hos mira vrbanitate procedere, ac e casula nouum me
hospitem humaniter educere. Nam vix pluribus caeremoniis in nostro
orbe recipiuntur gentium Legati. Vnusquisque ordine accedens, alloquitur
his verbis: *Pul Asser*. Postquam hanc aduentitiam saepius iterauerant,
verbaque eadem ego tandem regesseram, immodicos edebant cachinnos,
comicisque gestibus indicabant, vocis istius repetitione mire se delectari.
Animaduertebam] *A,* Animum aduertebam *B* mox, incolas hos esse leues,
nouitatis auidos, ac loquaces: Crederes tympana pulsari, cum
loquebantur, tanta volubilitate, ac vno spiritu quasi torrente,
contorquebant verba. Vt paucis dicam, erant cultu, moribus, loquela, et
corporis forma, *Potuanis* e diametro oppositi. Videbantur ad primum
formae meae adspectum obstupescere, causa vero stuporis praecipua erat
caudae defectus: Nam, cum inter omnia animantia bruta nulla sunt, quae
205 corporis humani figuram magis exscribunt, quam simii, ita, si cauda |mihi
fuisset, sui generis animal me credidissent, praesertim, cum incolae, qui
adhuc] *A,* qui *B;* qui *Elberling Kragelund* a planeta Nazar huc aduecti fuerant,
prorsus sibi dissimiles animaduertissent. Tempore eodem, quo in has
terras delatus sum, tumida vbique erant maria, ob viciniam planetae

Nazar: Nam sicuti apud nos aestus oceani cum curriculo lunae congruit,
ita firmamenti huius oceanus, quasi planetae Nazaris comes, cum eo
simul senescit, adolescitque.

Ducor ego mox ad spatiosam domum, lapidibus, specularibus] *A B;*
lapidibus specularibus *Elberling Kragelund (vide comm.)*, marmore, vasis pretiosis, ac
peristromatis insigniter ornatam. Ad portam excubabant custodes, vnde
coniicere poteram, non plebeii simii esse domicilium. Et audiui mox,
consulis esse aedes. Ille auidus mecum loquendi, magistros quosdam
conduxit, qui in lingua me instruerent. Trimestre fere spatium huic
institutioni datum est, quo elapso, cum satis expedite loqui didicissem,
credebam, me ob celeritatem ingenii, ac memoriae dexteritatem, omnium
admirationem emeruisse. Magistris vero meis tardior visus sum ac
206 hebetior, adeo, vt prae impatientia discipulum identidem |deserere
minarentur. Hinc, veluti in planeta Nazar, ob animum praecocem vocatus
per ludibrium fueram *Scabba*, siue praecox, ita simii hi, ob hebetudinem,
ac tarditatem, nomen mihi dederunt *Kakidoran*, id quod denotat
stupidum, siue lentum. Nam soli hic aestimantur, qui celeriter rem
assequuntur, ac inuolucra sensuum, verborumque volumina, vocumque
turbas fundunt. Dum in lingua simiorum instruebar, hospes meus saepe
me circumduxit per vrbem, quam omni luxus ac magnificentiae genere
diffluere videbam; nam multitudine vehiculorum, quadrigarum,
pedissequorum impediti, et turba vndique confluentis fluctuantisque
populi iactati, vi nobis iter facere cogebamur. At hoc nihil erat, si cum
luxu isto, qui in metropoli regnat, comparatur, vbi tanquam in centro
cernere licet, quicquid mortalium vanitas comminisci solet. Linguam
edoctus, ad metropolin ducor ab hospite, qui hoc nouo, ac insolito dono
fauorem senatoris cuiusdam emercaturum, se facile sperabat: Nam forma
regiminis hic aristocratica est, adeo, vt maiestas reipublicae sit penes
207 magnum |Senatum; et senatores ad vnum omnes sunt Patricii generis.
Nam, qui e plebeia stirpe sunt, non nisi centurionatus, aut praeturas in
prouinciis, et minoribus ciuitatibus sperare possunt. Ad consulatus etiam
nonnunquam promouentur, sed promotio haec fieri non solet, nisi
praecedente aliquo insigni merito. Et eo nomine consulatum obtinuerat
hospes meus; tanta enim ei erat ingenii vbertas, vt vnius mensis spatio,
viginti octo nouas leges, siue edicta (Projecten) commentus sit. Et quamuis
nouationes hae, quas meditatus erat, tales essent, quae cum vtilitate
publica stare nequiuerant, specimina tamen foecundi erant ingenii,

quibus monstrabilem se fecerat: nam in toto subterraneo orbe, nusquam nouatores tanti aestimantur, quam in hac republica. Metropolis huius reipublicae dicitur *Martinia*, vnde nomen sortita est tota regio. Ciuitas est situs opportunitate, operum nobilitate, nauigandi solertia, et nauium bellicarum apparatu celebratissima. Magnitudine credo, et incolarum numero, Lutetiae haud cedere: tanta stipatione cunctae vrbis plateae
208 tenebantur, vt fustibus ac pugnis |iter nobis patefacere cogeremur, ituri ad eam vrbis regionem, vbi habitabat Syndicus magni Senatus. Nam hic vir erat, cui me dono oblaturus erat consul.

Cum prope aedes syndici ventum esset, hospes meus diuersorium ingreditur, vestimenta ibi compositurus, cum vellet nitido ac decenti habitu syndico se sistere. Accurrebant cateruatim mercenarii quidam, vulgo dicti *Maskatti*, siue exornatores, quorum opera vti solent omnes, antequam palatia senatorum ingrediuntur. Vestimenta hi verrunt, maculas abstergunt, et turbata, vsque ad minimas plicas, mira arte et solicitudine componunt. Vnus ex his *Maskattis* arreptum mox consulis gladium tersit, et nitidum reddidit. Alius fascias versicolores caudae illius annexuit: nam nihil est, quod hisce simiis cordi adeo sit, quam ornatus caudarum. Erant senatores, maxime vero senatorum vxores, quarum caudae, festis diebus, vix mille thalerorum sumptu, nostrae monetae, decorari poterant. Tertius *Maskatti*, siue exornator cum instrumento aderat geometrico, quo dimensionem vestium fecit, visurus, an apta et
209 symmetrica essent omnia. |Quartus accurrit cum lagena aquae fucatae, qua faciem illius adulterauit. Quintus pedes examinabat, paronychia ingenti cum subtilitate tollens. Sextus aquam apportabat redolentem, qua manus ac pedes consulis aspersit. Et, vt breui me expediam, iste linteum tersui, ille pectinem frictui, hic speculum visui obiecit, cunctaque haec non minori cura, ac studio facta sunt, quam quo mappas geographicas apud nos dimetiri, et illuminare solent Geometrae. Tunc ego mecum: “Quantum non temporis, quantum non sumptus postulabunt ornatus mulierum, cum in viris ornandis et expoliendis, fingendis et pingendis, tanto opus sit molimine.” Et sane mulieres *Martinianae* omnem modum excedunt, tantoque vitia corporis fuco occulunt, vt prae nimio nitore sordeant. Nam, vbi sese sudor cum vnguentis consociet, ilico itidem olent, quasi cum multa iura confundit cocus: quid oleant, nescias, nisi id vnum, vt male olere intelligas.

Hospes meus hunc in modum tersus, pictus, comptus, et pumicatus,
210 ad palatium Syndici tendit, tribus tantum pedisse|quis stipatus. Cum in atrium ventum est, calceos deposuit, ne pauimentum marmoreum luto vel puluere feriret. Integram fere horam suspensus stare cogebatur, antequam de aduentu eius certior fieri posset syndicus, nec intromissus est, nisi praeuiis munusculis, quibus fauor custodum in hac regione emi solet. Syndicus, aurata sella sublimis, postquam me, cum hospite introëuntem, conspicatus est, in risum immodicum effunditur, ac mox tot stultas, et ineptas quaestiones proponit,

– – – vt mihi sudor ad imos
Manaret talos – – –

Ad quamuis responsionem

Ingeminat tremulos, naso crispante, cachinnos.

Credebam, histrioniam agere, hic inter virtutes poni, cum virum adeo comicum Syndicum, siue eum, qui secundum in senatu locum tenet, respublica fecisset, mentemque de ea re mox hospiti meo indicabam. At testatur ille, virum esse dotibus animi maxime conspicuum. Nam quanta illi esset ingenii vis, patuit e multitudine negotiorum diuersae naturae,
211 |quae in viridi etiam aetate gesserat. Tanta enim illi perceptionis erat facilitas, vt inter pocula res maximi momenti perageret, imo prandens, aut coenans, inter quoduis ferculum, legem aut edictum scribere soleret. Quaerebam tunc, quantae durationis esse solerent edicta, celeriter adeo concepta: regessit ille, vulgo durare, donec visum fuerit senatui eadem rescindere, ac antiquare.

Syndicus, postquam semihorae spatio mecum fabulatus erat, verbaque effuderat, ea fere loquacitate, qua tonsores nostri Europaei, ad hospitem meum conuersus, inter seruos, ait, suos me quidem receptum iri, quamuis animaduerteret, me ob ingenii tarditatem

Veruecum in patria, crassoque sub aëre natum,

ac proinde ad munus aliquod insigne vix esse idoneum: *Ego etiam*, ait hospes, *notaui insitum illi quendam torporem: at, si spatium detur diutius rem perpendendi, haud insulse iudicat.* Regessit Syndicus: “Hic opus est ministris promptis et expeditis, cum negotiorum multitudo
212 nullam cunctationem patiatur.” Hoc dicto, sedulo |examinare coepit vires

corporis mei, iussitque graue pondus humo tollere, id quod cum absque molestia fecissem: “Natura, *inquit*, quam in dotibus animi nactus est nouercam, defectum istum robore corporis quodammodo compensauit.” Iubeor deinde paulisper discedere in alium locum, vbi a ministris, ac seruis, mira quidem comitate excipior, at simul, nimia eorundem garrulitate, ac gesticulationibus, misere vexor. De orbe nostro tot mihi fecere quaestiones, vt, quid amplius dicerem, in promptu non esset, adeo, vt vera falsis miscere tandem coactus, curiositatem tamen eorum satiare nequirem.

Tandem reuersus hospes indicat, inter Excellentiae suae aulicos me locum accepisse. E praecedenti Syndici sermone coniicere quodammodo poteram, munus istud, mihi destinatum, non magni ponderis fore. Ominabar, aut custodis aulici, aut dispensatoris officium, mihi conferendum, at, roganti hospitem, quodnam istud esset munus, respondet: *Excellentia sua gratiosissime te constituit vehiculi sui*
213 *baiulum primarium (Porteur) cum annuo sti|pendio viginti quinque*
stercolatarum, (quaeuis stercolata *Martiniana* respondet duobus thaleris nostrae monetae). *Pollicitus est insuper, nemini hanc operam te praestiturum, nisi sibi ipsi, et nobilissimae coniugi*. Hoc responso, tanquam fulmine percussus, pathetice exposui, quam indignum hoc esset ingenuo homine, et honestis parentibus nato. At, loquentem interruperunt aulici, cateruatim accurrentes, ac ineptis gratulationibus seminecem conficientes. Nam *Martiniani* omnes leues, futiles, ac importuni locutores, nullo rerum pondere nixi, verbis humidis et lapsantibus diffluunt. Tandem in dormitorium introducor, vbi coena parata stabat, et postquam modice coenaueram, cubile mihi monstratur, vbi quiescerem.

In lectum me subito conieci, sed in isto animi aestu somnum capere nequibam. Fastus, quo a simiis his exceptus fueram, mentem mihi paene excusserat, et sane Spartana opus erat patientia ad concoquendam insignem adeo contumeliam. Deplorabam sortem meam, quam in hac regione duriorem videbam illa, quam expertus fueram in planeta *Nazar*,
214 |moxque mecum ita loquebar: “Quid si in has oras delatus fuisset magnus
principatus Potuani *Kadokus*, vir graphicus et quantiuis pretii, perexigua sane ratio haberetur viri, cui integro opus est mense, edictum scripturo? Quamnam sibi sortem promitteret *Palmka* in hac regione, vbi inter coenandum edicta meditantur, et conscribunt senatores?”

Animaduertebam post seriam meditationem, a terra sapientum in histrionum domicilium me esse translatum. Tandem his curis fatigato somnus obrepsit. Incertum est, quamdiu dormiuerim, cum nullum hic dierum ac noctium sit discrimen; nam tenebrae non sunt, nisi quae fiunt stato tempore, quando, per interpositionem planetae *Nazar*, eclipsin patitur sol subterraneus. Notabilis maxime haec eclipsis est, cum planeta *Nazar*, qui haud procul a firmamento natat, vmbra sua solem plane offuscet. Est quoque ob sideris perpetuam praesentiam eadem semper anni tempestas. Hinc variis inuentis, lucorum scilicet vmbra, ambulacris refrigerantibus, et cellis subterraneis, caloris incommoda propulsant incolae.

215 |Vix somno experrectus eram, cum intrat cubiculum cercopithecus quidam, qui se collegam meum profitetur, cum restibus, ac cauda fictitia, quam natibus meis applicuit, vt ad figuram aliorum simiorum effingerer: iubet deinde me paratum esse, quoniam Syndicus, intra horae spatium, ad Gymnasium, quo inuitatus publico programmate] quo, inuitatus publico programmate, *A B;* quo invitatus publico programmate *Elberling,* quo, inuitatus publico programmate, *SS,* quo invitatus publico programmate, *Kragelund* cum aliis senatoribus fuerat, esset portandus. Promotio erat Doctoralis, hora decima quarta ante meridiem. Notandum hic est, quanquam ob perpetuam lucem, dies a noctibus discriminari nequeant, dies tamen in certas descriptos esse horas, semihoras, et quadrantes, idque ope horologiorum, siue clepsydrarum, adeo, vt dies cum nocte viginti duas horas Martinianas complectatur. Hinc, si cuncta ciuitatis horologia simul deficerent, impossibile esse] *A B;* esset *Elberling SS* oppidanis, horas restituere, antequam e locorum vicinorum horologiis defectum suorum emendarent. Solaria enim nec sunt, nec esse possunt, ob perpetuam vmbrarum absentiam, rectos semper, et supra verticem sidere vibrante radios. Hinc, vbicunque puteum foderis, totus
216 illuminatur. Quod |vero ad annum attinet, is ad cursum planetae *Nazar* dirigitur, ac ordinatur, qui altero tanto citius, quam firmamentum subterraneum, periodum circa solem absoluit.

Hora decima quarta vehiculum auratum succollantes, ad Gymnasium portamus Excellentiam suam. Intrantes in auditorium, ordine sedentes conspicamur Doctores ac Magistros, quorum quisque praetereunti Syndico assurrexit, ac caudam illi obuertit. Reuerentiae hoc signum est. Hanc ob causam adeo studiose caudas exornant. Mihi vero stultae, ac ridiculae visae salutationes hae inuersae. Nam tergum alicui obuertere,

aut frigoris, aut indignationis indicium apud nos est: at suus cuique genti
gustus. Praedicti Doctores ac Magistri ab vtroque auditorii latere
sedebant. Et in extrema auditorii parte posita erat cathedra, quam
Doctorandus ornabat. Ante promotionis actum habita fuit disputatio, cui
hic titulus: *Dissertatio physica inauguralis, in qua examinatur, ac*
discutitur grauissimum istud Problema: An sonus, quem reddunt
217 *muscae, aliaque insecta, per os, vel per posteriora* |*egrediatur*. Praeses
priorem sententiam defendendam in se suscepit, quae tanto ardore ab
opponentibus impugnata est, vt periculum esset, ne iurgium istud in
pugnam cruentam abiret. Et sane ad manus res venisset, nisi Senatus
assurgens, auctoritate sua aestum hunc temperasset. Durante
disputatione, tibiis canebatur: Nam aderat moderator certaminis tibicen,
qui sonis tum placidis, tum citatis, aut demissam, iacentemque orationem
erigeret, aut saeuientem, ferocientemque cohiberet. At, his et aliis mediis
saepe nihil effectum est. Difficile enim est modum tenere, cum de rebus
grauissimis disceptetur. Id quod in nostro orbe saepe sumus experti, vbi,
non minori animorum motu, controuersia multiiugae et sinuosae
quaestionis feruet. Verum rixa haec, quae caedem ac sanguinem minari] *A,*
mineri *B* visa est, terminatur subito mutuis encomiis ac gratulationibus:
haud secus ac in Academiis nostri orbis, vbi secundum consuetudinem
passim receptam, e cathedra victor descendit Praeses.

Finita disputatione, actus creationis procedit his ritibus: Candidatum
218 in me|dio auditorii positum, compositis gradibus adeunt tres pedelli, siue
ministri academici, integrumque aquae frigidae modium super caput eius
effundunt, mox thuris fumo aspergunt] asperguut *A B* , ac vomitorium
hauriendum porrigunt. Ministerio hoc, summa cum veneratione, ac
capitum inclinatione, defuncti, tandem legitime creatum Doctorem
pronuntiant. Obstupescens ego ad tot miras et ignotas caeremonias,
cercopithecum quendam literatum, prope me stantem, quid rei esset,
rogabam. Idem ignorantiam meam miseratus: per aquam, ait, thus et
vomitorium innui, diluendas esse veterum vitiorum maculas, ac nouos
mores, a vulgo distinctos, esse induendos. Hoc audito, damnaui stuporem
meum, et admiratione satur, nihil amplius interrogaui, ne viderer,
nunquam inter honestos vixisse.

Tandem tympanorum, tibiarum, ac tubarum strepitu omnia
personabant: egressusque ex auditorio nouus Doctor, prasinatus et
cingulo succinctus, comitem habuit totum Heliconem, vsque ad domum

219 suam. At, cum plebeiae tantum sortis esset, non sella vehebatur, sed chiramaxio |trahebatur, praecedentibus togatis cursoribus. Actus, vti vulgo fieri solet, terminatus est lautissimis epulis, et temulentia conuiuarum. Nam tantum vini effusum fuit, vt plerique ebrii domum abstraherentur, nec, nisi ope medicaminum, post aliquot dies conualescere possent, adeo, vt in toto isto actu nihil desideraretur, quin ab initio ad finem valde solennis fuerit, et testor, me nullam promotionem magis academicam, nec vllum Candidatum magis legitime creatum Doctorem, in nostro orbe vnquam vidisse.

In Curiis iustitiae causae mira celeritate diiudicantur, adeo, vt non possem non ingenii velocitatem, et facilem istam apprehensionem, huic genti peculiarem, admirari. Nam, antequam telam actionis absoluerint aduocati, consurgunt saepe iudices, et suffragia non minus expedite, quam eleganter ferunt. Curias has identidem frequentaui, auditurus modum procedendi *Martinianum*. Sententiae mihi initio videbantur solidae, et aequitate naturali nixae: at, paulo curatius examinanti, iniquae, stultae, ac contradictoriae apparuere, adeo, vt lusui aleae rem
220 com|mittere, quam sententiis iudicum *Martinianorum* causam subiicere satius duxerim. De legibus huius gentis nil dicere possum, ob ingentem, cui obnoxiae sunt, vicissitudinem; nam leges] leges, *A B;* leges *Elberling,* leges, *SS Kragelund* ac iura hic vestium instar, quouis anno mutantur. Hinc multi ob crimina puniuntur, quae non crimina erant eo tempore, quo committebantur: multi etiam ob id solum condemnantur, quod actiones eorum, quae secundum leges licitae erant, postea, noua edita lege, factae sunt illicitae. Eo intuitu a Tribunalibus inferioribus ad superiora appellant omnes, sperant quippe, lite pendente, antiquatum iri legem priorem. Vitium hoc nascitur ex prompta nimis legum conceptione. Huc adde, quod gens haec nouitatis auidissima, ob solam antiquitatem, vtilissimas leges et consuetudines nauseet. Nec minorem in cultu corporis, ac vestibus notaui leuitatem. Aduocati hic magni aestimantur ob disputandi subtilitatem: et sunt inter illos, qui rota, vt aiunt, figulari versatiores, non nisi dubiae, aut iniustae causae patrocinium in se suscipiunt, monstraturi,
221 quanta illis in disputando sit dexteritas, |et qua arte atrum in candidum vertere valeant. Ob istam ingenii subtilitatem, saepe iniquae causae patrono fauent iudices, quibus sufficit, logice ac methodice ventilatam esse litem. Hinc dicere solent: “Causae quidem iniquitatem perspicimus, attamen, cum tanta arte, ac methodo sit defensa, non possumus, quin ob

patroni dexteritatem, ab aequo paulisper discedamus." Iura hic a Doctoribus, diuerso pretio, pro causarum natura, docentur: ex. gr. qui docent auditores malam et iniquam causam tueri, aut, vt Graeci aiunt, *το`ν ἥττω*] ἤτλω *A B* *λόγον κρέιττω ποιεῖν*, viginti stercolatas, qui vero aequam, decem tantum stercolatas pro labore exigunt. Formalia iuris tot ac tanta sunt, vt in immenso aliarum super alias aceruatarum legum cumulo, fundum perspicere non liceat. Nam cum *Martiniani* indolis maxime sublimis, et celerrimae perceptionis sint, omne, quod simplex ac nudum est, nauseant, subtilia tantum, nodosa, atque implicita suspicientes.

Eadem est religionis facies, quae non in praxi, sed vanis
222 speculationibus consistit. Ita ducentae ac triginta sunt opi|niones diuersae de forma, quae Deo sit attribuenda, et 396 de animarum natura et qualitate. Templa, siue auditoria sacra, in quibus Theologia docetur, non frequentant *Martiniani*, vt audiant, quid vsui esse possit, et vt discant praecepta bene viuendi, ac moriendi, sed tantum vt audiant, qua arte, et qua ingenii subtilitate se exprimant oratores sacri, qui, quo obscurius loquuntur, eo ardentius applauduntur, adeo, vt aegre audiant *Martiniani*, nisi ea, quae non intelligunt. Maior verborum cura est, quam rerum, oratoribus comptam magis phrasin, et teretem periodum, quam rationum neruos, ac iudicii limam affectantibus, et auditoribus non nisi blandimentis, ac sonantibus verbis attentionem commodantibus. Hinc nihil ausus sum dicere de religione christiana, quae nuda ac simplex est, et quam maxime commendat veritas non fucata.

Nusquam pluris aestimantur nouatores, quam in hac republica: quo difficilius, ac absurdius sit commentum, eo commendatius. Cum certo cuidam cercopitheco semel exposuissem naturam orbis terraquei,
223 monstrassemque, superficiem |eiusdem inhabitatam esse, consilium mox ille proposuit de perfodienda telluris crusta, et via ad superterraneos aperienda. Commentum istud mox omnium applausum tulit, et instituta est societas, siue *superterranei commercii consortium*, ad quod cateruatim mox accurrebant incolae, collatisque symbolis, *Actiones*, vti mercatores loqui amant, emercati sunt. At, turbata his motibus tota regione, variisque familiis per hasce *Actiones* ad extrema redactis, stoliditatem commenti tandem perspicientes, ab incepto destiterunt. Ob istam tamen stultitiam, quae reipublicae tanti steterat, nil mali passus est nouator, quin insuper, ob nobilitatem facinoris, omnium laudes

emeruerit, adeo, vt dicere solerent Martiniani: *quamuis conatus successu destitutus fuerit,*

– – magnis tamen excidit ausis.

Perscrutatus indolem huius gentis, conabar iisdem mediis aestimationem mihi aliquam apud *Martinianos* parere, nouoque commento sortem meam paulo meliorem reddere. Igitur postquam statum reipublicae huius
224 examinaueram, vitia non pauca detexi. Videbam artificum |subtiliorum omnia esse plena, opificiorum vero inopia regionem hanc laborare. Hinc legem proposui, de instituendis quibusdam opificiis, quae vsui essent publico. At, cuncta huius indolis commenta, nil, nisi risum et contemptum, apud vanam istam gentem, quae crepundiis solis delectatur, pepererunt. Hinc ego in propriam meam stupiditatem inuectus sum his verbis: *Stupidus ac iners es, ac dignus, qui in facultate baiulorum ignobili canescas*. Animum tamen non plane despondebam, et cum animaduerterem, consiliis salutaribus me nil proficere, statui tentare, stultone an inepto aliquo commento difficultatem hanc eluctarer. Consilium aperio prudenti cercopitheco, qui sponte currentem stimulat his verbis:

Aude aliquid breuibus gyaris ac carcere dignum,
Si vis esse aliquid. – – –

Et cum monstraret, non paucos hic fuisse, qui per solas nugas, ac per ea, quae pueri in faba se reperisse clamant, se commendabiles reddiderant, maxime vero per nouas quasdam vestimentorum formas, statui necesse
225 mihi esse cum insanientibus |furere. Igitur omnes artes ad signa vocans, Europaeorum stultissima commenta sedulo examinabam, tandemque, habito eorundem delectu, capitum ornamenta, quae nos *Peruccas* vocamus, hic commendare decreui. Videbam, caprarum in hac regione esse magnam copiam, e quarum lana *peruccae* quodammodo effingi possent. Et cum istud opificium beatus meus tutor diu exercuisset, artis eiusdem non plane rudis eram. Comparatis igitur lanis caprinis, effinxi *peruccam*, capiti meo conuenientem, ac ita ornatus, Syndico me sistebam. Obstupescens ille ad nouum et insolitum phaenomenon, quid rei esset, rogat, moxque capiti meo ademptam, suo imponit, ad speculum properans, vt se ipsum eo ornatu intueretur. Tantum sibi ipsi tunc, cum nouo isto capitis tegmento, placuit, vt prae gaudio alte exclamauerit: *Diis*

proximus sum! Coniugem suam mox arcessiuit, vt gaudii sui participem faceret. Illa non minori laetitia exultans, maritum amplexa, testatur, nil
226 lepidum magis, ac gratum oculis suis fuisse, cui sententiae tota etiam familia suffragatur. Tunc ad me conuersus Syndi|cus: *Si istud tuum commentum*, inquit, *o Kakidoran! Senatui aeque arriserit, ac nobis, summos in nostra republica honores tibi polliceri poteris*. Ego vero gratias humillimas agens, Excellentiae suae petitionem mox obtuli, ad Senatum deferendam. In eadem petitione commenti mei nobilitatem exaggeraui his verbis:

EXCELLENTISSIMI, GENEROSISSIMI, ILLVSTRISSIMI, NOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI
SENATORES,
"Naturalis ista propensio, qua feror in vtilitatem publicam promouendam, impulit me, ad excogitandum, et effingendum nouum istud, et adhuc ignotum capitis tegmentum, quod hic humillime offero, et examini grauissimi vestri tribunalis subiicio, nullus dubitans, quin gratiose excipiatur, maxime, cum commentum istud , ad gentis gloriam, ac ornamentum tendat, efficiatque, vt toti orbi innotescat, inclytam Nationem Martinianam, quantum inter omnes mortales virtute, ac animi
227 dotibus eminet, |tantum cultu quoque, et vestimentorum ornatu, qui corpori venerationem ac maiestatem conciliat, distingui. Testor sancte, proprio me commodo non velificari, ac proinde nullam laboris mercedem exigere: sat mihi erit, vtilitatem publicam, ac gloriam gentis, pro modulo virium mearum, promouisse. Si vero hanc meam operam praemio aliquo dignam decernat Per-illustris Senatus, fauorem in me collatum, grato animo laetus amplectar, quo toto orbe munificentia eiusdem enitescat, aliique ad similia, aut maiora opera excudenda, acuantur. Eo solo intuitu liberalitati Senatus populique Martiniani non obnitor. Quod reliquum est, fauori excellentium virorum me commendo."

Martiniae,
die 7mo
Mensis Astral.

PERILLVSTRIS SENATVS
Seruus humillimus
Kakidoran.

228 |Traditam hanc petitionem vna cum capitis tegmento, in Senatum iturus,
secum portabat Syndicus. Audiui, eodem die cessasse omnes res forenses,
tantum huius commenti examen omnium animos occupauerat. Cum
suffragia ferrentur, laudatur species operis, commendatur manus artificis,
acceptatur deuotio donantis, et praemium statuitur. In toto senatu tres
tantum senatores erant, qui huic sententiae refragabantur: at male eo
nomine audiebant, ac tanquam indocti, et inurbani, munereque senatorio
parum digni, notabantur.

Facto senatusconsulto, in curiam arcessor, vbi senior cercopithecus
assurgens, postquam nomine totius reipublicae gratias mihi egerat,
simulque indicauerat, remunerandam pro merito fore operam meam,
rogabat, quanto temporis spatio mihi opus esset, ad effingendum simile
capitis ornamentum. Respondebam ego, sat mihi mercedis esse, quod
artificium tantorum virorum applausum, et totius Senatus niueos
emeruerit calculos: pollicitus sum aliam *peruccam* bidui spatio
perficiendam, et, modo alii, in opere manuario exercitati simii, quos
ar|tem docerem, mihi adiungerentur, posse vnius mensis intercapedine
229 formari *peruccas*, quae toti ciuitati sufficerent, asseuerabam. At, hoc
responso commotus, in haec verba prorupit Syndicus: “Absit, Kakidoran,
vt ornatus hic] hic, *A B;* hic *Elberling,* hic, *SS (SS* hic *sine virgula in app. commendat)* toti
ciuitati sit communis, et ob vsum nimis frequentem vilescat! necesse enim
est, vt eo nobilitas a plebe distinguatur.” Iudicio grauissimi viri omnes
adstipulantur, ac iubentur ciuitatis censores curam agere, ne
senatusconsultum violetur, neue promiscuo *peruccarum* vsu, nobilitas
quid detrimenti capiat, et insigne adeo ornamentum plebeio contagio
polluatur. At, edictum hoc eundem habuit effectum, quem cunctae
sumptuariae leges, cum discrimine ciuium latae; nam eo maiorem
transgrediendae legis ardorem in plebe concitabat. Et cum ornatus hicce
mire omnibus placeret, ciues e plebe ditiores, aut commendatione
amicorum, aut pecunia, titulos ac diplomata nobilitatis a Senatu sunt
emercati, adeo, vt dimidia ciuitatis pars breui nobilitaretur. Tandem, cum
e prouinciis etiam supplices libelli afferrentur, consultum duxit Senatus,
edictum antiquare, et vni|cuique *peruccarum* vsum permittere, adeo, vt
230 cum voluptate totam gentem *peruccatam* (sit venia verbo!) viderem,
antequam Martinia egressus sum. Lepidum sane spectaculum erat,
crinitos hos simios intueri. Tantum toti genti placuit commentum, vt

nouam epocham statuerit; nataque inde est aetas crinita in annalibus Martinianis.

At, vt ad me ipsum redeam, encomiis cumulatus, ac purpureo tectus pallio, vehiculo Syndici domum reportor; adeo, vt baiulus iste, qui nuper collega meus fuerat, iam equi officium mihi praestiterit. Ex eo quoque tempore ad propriam Syndici quadram fui admissus. Post laetum istud fortunae meae praeludium, inceptum opus perficere aggressus sum, sociaque eorum opera, qui mihi adiuncti erant, tot breui adornaui *peruccas*, quot toti Senatui erat opus: et, postquam integrum mensem in isto opere desudaueram, affertur mihi Nobilitatis Diploma, his verbis conceptum:

“Ob praeclarum istud, et reipublicae salutare commentum, quo sibi
231 totam Martinianam gentem deuinctam reddi|dit Kakidoran, e ciuitate, Europa dicta, oriundus, decreuimus, eundem nobilitate donare, adeo, vt ipse cum haeredibus suis, ex hoc tempore, veri et genuini Nobiles censeantur, cunctisque priuilegiis, iuribus, ac immunitatibus, Nobilitati Martinianae propriis, fruantur. Porro statuimus, nouo auctorem nomine ornare, adeo, vt loco Kakidoran, nominetur *Kikidorian*. Denique, cum nouus iste status, nitoris quandam necessitatem imponat, annuum stipendium 200 Patarorum, quo nouam dignitatem tueatur, statuimus. Datum in Senatus Curia, Martiniae, 4to die mensis Merian, sub maiori Senatus sigillo.”

Ita a vili baiulo in virum nobilem transformatus, in summo honore, et felicitate aliquandiu viuebam. Et cum animaduerterent *Martiniani*, gratia me apud Syndicum valere, amicitiam meam, ac fauorem, omnes venabantur. Adulatio captantium eo vsque progrediebatur, vt carmina panegyrica mihi certatim offerrent, ignotasque mihi virtutes affingerent. Nonnulli, quamuis scirent, me ignoti orbis ciuem esse, maiores meos
232 longa |deducere virga, ac genealogiam a primis saeculis deriuare non dubitarunt. At, parum gratae mihi erant eiusmodi computationes, cum gloriosum non putarem, a simiis descendere. Porro, cum solitum sit *Martinianis*, caudas optimatum laudibus celebrare, eodem fere modo, quo Poëtae nostri formas virginum praedicare solent, vates quidam, gratiam meam aucupantes, caudae meae praestantiam, quamuis nulla mihi esset, carminibus celebrarunt. Breuis ero: adulatio eorum in tantum excreuit, vt quidam non infimi ordinis vir, quem tamen respectu familiae nominatim indicare supersedeo, vxorem suam vtendam, fruendamque

mihi offerre non erubuerit, stipulatus pro ista liberalitate intercessionem meam apud D. Syndicum. Sordida haec assentatio, cui tota gens dedita est, efficit, vt annales Martiniani legi vix mereantur ratione materiae, quae nil nisi encomiorum insulsam farraginem complectitur, quamuis dictio nitida vbique ac elegans sit: Hinc terra haec meliores Poëtas quam Historicos producit. Et constat, nusquam dari Poëtas sublimiores; id quod insigni *Martinianorum* imaginationi adscribitur.

233. |Prospera satis valetudine in hac terra diu vsus fui, quamuis aestus, quem perpetua solis praesentia parit, haud parum mihi molestus esset. Aluo quidem cita, et accedente febri rapida, semel decumbebam; at exiguae durationis erat febris: et testari possum, Medicum, cuius opera tunc vsus sum, ipso morbo molestiorem mihi fuisse, ob garrulitatem, quae huic genti propria est. Cum in isto statu opus mihi esset Medico, sponte mihi officium obtulit Doctor quidam medicinae, ad cuius adspectum risum continere nequibam, cum idem esset, quo tondente nuper mihi barba sonuerat. Roganti mihi, qui tam subito e tonsore in Doctorem medicinae transformari potuisset, respondet, se ex vtraque arte quaestum facere. Hoc audito, cum dubius essem, an salutem meam tali polyhistori tuto committerem, diceremque, malle me Medicum, qui solam medendi artem profitetur, sancte ille iurabat, talem Medicum in hac ciuitate non dari. Hinc curationi eius me subiicere cogor. Auxit admirationem meam Medici festinatio, nam potione, quam haurirem,
234. mihi praescripta, subito semel |abiit, indicans, se diutius mecum commorari non posse, cum aliis negotiis, quibus distractus, eodem tempore tenebatur, auocaretur. Cum rogarem, quaenam essent negotia, tantam festinationem poscentia, respondit, adesse iam horam, qua in curia ciuitatis minori solitum munus obiret, cum simul Notarius aut scriba esset. Istam polymathiam passim in hac terra exerceri videbam, vbi nemo dubitat, multa simul opposita munera suscipere. Confidentiam istam dat mira ista ingenii velocitas, qua negotia celeriter expediunt. At, e variis erroribus, ac soloecismis hic commissis, didici, ignea haec ingenia reipublicae ornamento potius quam vsui esse.

Postquam biennii tempus in hac regione, qua baiulus, qua Nobilis, transegeram, incidi in casum quendam inopinatum, qui paene exitialis mihi fuit. In palatio Excellentiae suae mirum fauorem adhuc expertus eram, et singulari beneuolentia me prosecuta fuerat coniux Syndici, adeo, vt inter amicos eius primum locum tenere viderer. Saepe me priuato

235 colloquio dignata erat, et, licet praesentia mea videretur mire delectari, attamen |ea me semper allocuta erat verecundia, vt officia eius non nisi in bonam partem interpretarer, nec suspicari possem, fomitem huius beneuolentiae impurum esse amorem, maxime in matrona, quae inter simias non minus virtute, quam maiorum imaginibus spectabilis erat. At, procedente tempore, e sermone eiusdem aequiuoco nonnihil suspicionis mihi natum est: hanc auxerunt

Et color, et macies, et vultus, et humida saepe
Lumina, nec causa suspiria mota patenti.

Tandem oculorum caligo discutitur, cum virgo quaedam epistolam mihi afferret huius sententiae:

DVLCISSIME KIKIDORIAN!

“Praeclari natales, ac insita sexui nostro verecundia, amoris scintillas sub corde meo diu latitantes, ne in incendium prorumperent, adhuc cohibuerunt. Iam vero penitus oppressa, amoris violentiae resistere vlterius non valeo.”

– – Miserere fatentis amorem,
Et non fassurae, nisi cogeret vltimus ardor.

PTARNVSA.

236 |Haud verbis exprimere possum, in quantum me aestum coniecerit inopina haec amoris testatio. At, cum satius ducerem, vindictae furentis matronae exponi, quam infami, cum creatura heterogenea, commercio, iura naturae turbare, responsum dedi his fere verbis:

CLEMENTISSIMA DOMINA!

“Perpetuus iste fauor, quo me prosecutus est excellentissimus**]** *B,* excellentissimis *A* Syndicus, ampla, quae in immerentem contulit beneficia, petiti moralis impossibilitas, et innumerae aliae causae, quas enumerare supersedeo, exposcunt, vt irae et indignationi Dominae meae potius me subiiciam, quam, vt in rem consentiam, omnium bipedum nequissimum,

et improbissimum me redditurам. Solicitor ad ea, quae morte mihi acerbiora sunt; officium mihi iniungitur, quod absque ignominia illustrissimae Familiae praestari nequit: Nam officium est, quod ipsi imperanti maxime officit. Testor igitur sancte, voto Dominae me annuere non posse, quamuis in omnia alia caecam obedientiam pollicear”

Kikidorian.

237 |Finitae epistolae hoc monitum subnexui:

– – – Aspice, quantum
Aggrediare nefas; et, dum licet, effuge crimen.
Ante oculosque tuos rectum, pietasque pudorque
Consistent, et terga dabit deuicta Cupido.

Responsum hoc, annulo meo signatum, eidem virgini referendum Dominae tradidi. Effectum habuit, quem ominabar; nempe quod amor in acerbissimum odium fuerit versus,

– – – Dolor ora repressit,
Verbaque quaerenti satis indignantia linguae
Defuerunt: nec flere vacat, sed fasque nefasque
Confusura ruit, poenaeque in imagine tota est.

Aliquamdiu tamen vindictae tempus distulit, donec epistolam amatoriam, quam mihi scripserat, reciperet. Reddita epistola, subornauit nonnullos,
238 qui iureiurando testarentur, absentis me Syndici tha|lamum polluere
voluisse. Fabula haec tanta arte, ac verisimilitudine acta fuit, vt Syndicus de rei veritate non dubitans, in carcerem me coniici iusserit. In isto rerum articulo vnica mihi salutis via erat falsi criminis confessio, ac misericordiae dominicae imploratio, qua aut iram frangendam, aut poenam mitigandam sperabam. Nam cum domo potentissima litigare, praesertim in ea regione, vbi non merita causae, sed sola personarum qualitas respicitur, stultum mihi videbatur. Hinc omissa omni defensione, in fletus et abiectissimas preces me conieci, non poenam deprecatus, sed mitigationem poenae implorans.

Ita confessione criminis, quod nunquam somniaueram, a poena capitali liberatus, ad perpetuam captiuitatem damnabar. Diploma Nobilitatis mox mihi ademptum, a carnifice discerptum fuit, ipse ergastuli naualis candidatus, in triremem abstrahor, seruilibus ministeriis

initiandus. Nauigium publicum erat, quod paratum stabat itineri in
239 *Mezendores*, siue terras paradoxas; quod iter stato anni tempore, |scil. mense *Radir*, suscipi solet. Aduehuntur ex his terris merces, quas Martinia non patitur; adeo, vt terrae istae Mezendoricae Martinianis quasi Indiae quaedam sint. Societatem commercii Mezendorici componunt mercatores, tam nobiles, quam plebeii, inter quos merces redeuntis nauigii pro rata, siue pro numero *Actionum*, siue symbolarum diuiduntur. Nauigia velis ac remis impelluntur, et biga captiuorum vnicuique remo assignatur. Ad tale ego ministerium in hoc itinere damnabar. Quo animo iugum istud subirem, facile est coniicere, maxime, cum nulla noxa commeruerim inter sceleratos, seruili labori, ac flagris exponi. Inter *Martinianos* varia, pro diuersis animorum motibus, de hoc casu erant iudicia. Hi meruisse me quidem poenam credebant, at, quem premebat atrocitas criminis, peractae damnationis miseratio tuebatur. Illi meritorum meorum aliquam rationem habendam, eoque nomine poenam saltem mitigandam iudicabant. Honestissimi simii, falso me accusatum, inter se mussitabant, at, nemo ausus est, palam causae meae patrocinari,
240 metu potentium accusatorum. Calamita|tem igitur patienter ferre decreui, et maximum afflicto solatium erat futura nauigatio, cum nouitatis auidissimus sperarem, in hoc itinere miras ac stupendas res visurum, quamuis cunctis, quae a nautis narrabantur, fidem non haberem, nec in animum inducere possem, tot ac tanta in rerum natura dari portenta. In naui nostra diuersi erant interpretes, quorum opera societas Mezendorica in hisce expeditionibus vtebatur; nam horum ministerio emptionis venditionis] *A B;* et venditionis *Elberling Kragelund (Vide comm.)* contractus fiebant.
241 |

CAPVT XI.
NAVIGATIO IN TERRAS PARADOXAS.

Antequam ad descriptionem huius nauigationis progredior, censores tetricos, ac rigidos moneo, ne frontem nimis contrahant ad narrationem rerum, quae naturae aduersari, ac proinde omnem fidem excedere videbuntur.

Non equidem hoc studeo, bullatis vt mihi nugis
Pagina turgescat; dare pondus idonea fumo] *B,* sumo *A* :

Refero incredibilia, sed vera, et quorum ipse oculatus testis sum. Rudes ac indocti, qui extra limina patriae pedem non protulerunt, cuncta iudicant fabulosa, quibus ab infantia non assueuerunt. Docti vero, maxime rerum Physicarum gnari, qui experientia didicerunt, quam ferax varietatum sit natura, aequiora de rebus, quae narrantur, insolitis, ferunt iudicia.

242 |

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroë crasso maiorem infante mamillam?
Coerula quis stupuit Germani lumina, flauam
Caesariem, et madido torquentem cornua cirro?
Nempe, quod hoc] *A B;* haec *Elberling SS (vide comm.)* *illis natura est omnibus vna.*
Ad subitas Thracum volucres nubemque sonoram
Pygmaeus paruis currit bellator in armis;
Mox impar hosti, raptusque] raptisque *A B;* raptusque *Elberling* *per aëra curuis*
Vnguibus a saeua fertur grue. Si videas hoc,
Gentibus in nostris risu quatiare: sed illic,
Quanquam eadem assidue spectentur praelia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non est altior vno.

Inuenti sunt olim in Scythia homines, vnum oculum in medio frontis
243 habentes, dicti *Arimaspi*. Alii sub eadem coeli plaga |vestigia pedum habentes retro porrecta. In Albania nati fuere homines, qui in pueritia canescebant. Sauromatae tertiis semper diebus cibum capiebant, medio abstinentes. In Africa celebrantur certae familiae hominum, voce, ac lingua effascinantium. Fuere in Illyriis, qui interimebant videndo, quos diutius irati aspiciebant, quique pupulas in singulis oculis binas habebant. In montibus Indiae reperti sunt homines caninis capitibus, et latrantibus, aliique, oculos in humeris habentes. In extremis Indiae detecti sunt quidam, corporibus hirtis, et auium ritu plumantibus, nullo cibatu vescentes, sed spiritu florum, naribus hausto, victitantes. Quis haec et similia credidisset, nisi Plinius, autor] *A,* autor *B* grauissimus, non audisse, neque legisse, sed vidisse se omnia, sancte testatus fuisset? Ecquis denique credidisset, terram esse concauam, ac in visceribus eiusdem

contineri solem, et planetas, nisi experientia mea mysterium istud fuisset detectum? Quis credidisset, terram dari, ab arboribus ambulantibus, ac ratione praeditis, inhabitatam, nisi eadem experientia omnem
244 dubitationem excussisset? |Nemini tamen ob incredulitatem dicam scribam; nam fateor, eundem mihi ipsi, ante susceptum hoc iter, fuisse scrupulum: splendidas esse fabulas, et meras credebam nugas, quae a nautis narrabantur.

Initio mensis Radir

Vela damus, vastumque caua trabe currimus aequor,

prospero aliquot dies vento vsi; quocirca ferias egimus remiges, cum plenis euntibus velis, remigio non esset opus. Quarto vero die

Vela cadunt, remis insurgunt haud mora nautae,
Adnixi torquent spumas, et coerula verrunt.

Laborem hunc valde mihi esse molestum cum animaduerteret nauclerus, vacationem mihi per interualla concessit, et tandem a seruili hoc ministerio me penitus liberauit. Cur istam exercuerit humanitatem, an, quia insontem me credebat, an vero, quod ob insigne *peruccarum* inuentum, meliori me sorte dignum iudicabat, dicere nequeo. Ipse tres
245 *peruccas* |secum duxerat, quas mihi crispandas, et comendas tradidit, adeo, vt subito e remige in crinium concinnatorem transformarer. Ista naucleri in me humanitate effectum est, vt quoties portum quendam intrauimus, in eorum semper numero essem, qui exscensionem in terram fecerunt. Quo facto, data mihi fuit occasio curiositati meae abunde satisfaciendi.

Sulcantibus mare, diu nihil memorabile obuium fuit; at, postquam conspectum litoris amisimus,

Emersere feri cano de gurgite vultus.

Sirenes erant, quae, quoties venti posuerant, et subsederant vndae, rati adnatabant, eleemosynam petentes:

Prima hominis facies, et pulcro corpore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore Pristis.

Lingua earum Martinianae erat confinis, adeo, vt nautarum nonnulli, absque interprete, cum iisdem fabulari potuerint. Vna earum, cum offam

246 carnis petenti |dedissem, attentius me aspiciens, exclamabat:

Heros euades, cunctis dominaberis oris!

At, ad omen istud, tanquam ad vanam adulationem, subridebam, quamuis sancte testarentur nautae, in praedictionibus raro falli sirenes. Post iter octidui tandem conspicati sumus terram, quam nautae *Picardaniam* vocabant. Intrantes portum, circumuolabat pica, quam telonii inspectorem generalem asseuerabant, et virum quidem grauissimum. Vix ego risum continui, cum audirem picam tanto munere fungentem, cumque viderem, aerarii ministrum

– – per liquidum sublimibus aëra pennis
Currere, et aethereo corpus librare volatu.

E forma telonii praefecti iudicabam, muscas fore custodes] custodes, *A B;* custodes *Elberling,* custodes, *SS Kragelund* ac telonii ministros.

Postquam nauim nostram ter circumuolauerat, terram repetens, mox cum tribus minoribus picis reuertitur, ac in proram nauis se demittit.
247 Cachinnis mihi |ilia fere soluebantur, cum viderem, vnum ex interpretibus nostris cum veneratione has picas accedere, et longos cum iisdem sermones serere. Aduentus earum causa, erat mercium examen; ex more enim inquirere debebant, ecquid mercium prohibitarum, in primis herbae vulgo dictae *Slac*, sub sarcinis lateret. Herbae huius inuestigandae causa omnes nauigii angulos perreptare, sarcinasque, ac loculos excutere solent, quoniam inuectio eiusdem a magistratu seuere prohibita est. Nam cum hac herba multas egregias, et necessarias merces commutare solent incolae, quo fit, vt herbarum *Picardanarum*, quae tamen eidem vsui inseruire possunt, pretium diminuatur; adeo, vt *Picardani* in eo Europaeis nostris sint similes, qui res appetunt, ob id solum, quod e remotis terris apportantur, ac sub alio coelo nascuntur. Telonii inspector generalis, postquam cum interpretibus nostris diu fabulatus erat, sub nauis tabulata cum reliquis, quae aderant, picis descendit, indeque reuersus, torue nos adspexit, indicans, commercium nobis cum
248 *Picardanis* prohibitum fore, quoniam contra foedera |egimus, merces vetitas asportando. At, nauclerus experientia edoctus, quibus mediis ira inspectorum telonii mitigetur, frementi aliquot libras herbae *Slac* dono dedit, moxque deferbuit bilis, et licentiam nobis concessit exonerandae nauis.

Hoc facto, ingens picarum caterua aduolat. Mercatores hae omnes erant. Nauclerus vero exscensionem in terram facturus, me cum nonnullis aliis sequi iubet, adeo, vt quatuor numero fuerimus, qui naui egrediebamur, nempe ipse nauclerus, ego, et duo alii simii, quorum alter erat Consiliarius commercii, alter vero interpres. Ad prandium inuitati fuimus ab inspectore generali; at nulla erat mensa, cum sedilibus vti nequeant *Picardani*, quocirca in medio pauimento mappae sternuntur. Lauta et magnifica apponebantur fercula, sed patinis minutissimis, et, cum culina posita esset in superiori aedium contignatione, cum singulo ferculo picarum quadriga, quasi per impluuium descendebat. Finito prandio, Praefectus vectigalium ad bibliothecam suam nos ducit. Ingens
249 erat librorum |apparatus, sed minuti omnes, adeo, vt volumina maiora, et in folio, calendaria nostra vix magnitudine exaequarent. Vix mihi temperabam, cum viderem Bibliothecarium ad superiores loculos euolare, vt libellos in octauo, ac duodecimo depromeret. Quod reliquum est, parum ab aedibus nostris, structura et apparatu, differunt aedes *Picardanae*; cubilia vero prope tectum suspensa, veluti auium nidi stant. Quaeret hic] *A B;* his *SS* quispiam, qui fieri possit, vt a picis, quae inter aues minorum gentium sunt, tantae molis aedificia exstruantur? At patuit e domo, tunc temporis e fundamentis exstruenda, rem fieri posse; nam opus simul vrgebant aliquot operariorum millia, adeo vt multitudo ac facilitas volandi, virium defectum quodammodo supplerent. Hanc ob causam eadem fere celeritate, qua domus nostrae, *Picardana* aedificia eriguntur. Vxor inspectoris non apparuit, vtpote puerperio impedita; nam non egrediuntur puerperae, quam diu inuolucres adhuc sunt infantes, sed breui, plumantibus iam iam pullis, in publicum prodituram ait maritus.

250 |Haud diu in hac regione haesimus, quo circa statum regionis, incolarumque indolem ac mores delineare nequeo. Ingens tunc temporis animorum erat motus, ob bellum, inter *Picardanos* et vicinos Turdos, nuper conflatum, maxime cum postridie aduentus nostri nunciaretur, ingenti praelio aërio a Turdis fusos fuisse Picardanos; quocirca dux exercitus, cognita causa, sententiam tulit, vt alarum sectionem pateretur, quae poena hic grauis existimatur, et parum a capitali supplicio differt. Facta mercium permutatione, vela ventis damus. Vidimus haud procul a litore plumis constratum aequor, ac, e pennis, quas per maria inanis spuma torquebat, coniecimus, locum eum esse, vbi praelium habitum fuit inter Picas et Turdos.

Post tridui prosperam nauigationem, adpulimus litori terrae musicae. Iacta ancora, terram petimus praeeunte interprete nostro cum instrumento musico, quod vulgo dicimus *Bassum*. Valde ridiculum id mihi videbatur, cum, quem in finem hac sarcina se onerasset, non
251 caperem. Cum omnia deserta videremus, et |nullum creaturae vestigium vsquam appareret, iubet nauarchus aere canoro aduentum nostrum incolis indicare, moxque ad tubae sonitum accurrebant circiter triginta instrumenta musica, siue *Bassi* vnipedes. Vera mihi incantatio hoc videbatur, cum nihil in toto itinere stupendum magis vidissem. *Bassi* isti *Violini*, quos esse incolas huius terrae comperiebam, hunc in modum formati erant. Superne collum erat oblongum cum capite minuto, ipsum corpus angustum et contractum, cortice quodam laeuigato erat obductum, adeo, vt inter corticem istum ac corpus, vacuum esset relictum spatium. Supra ventris vmbilicum natura posuerat pectinem, siue sellam cum quatuor chordis. Tota machina vno tantum pede nitebatur, adeo, vt cuncti singulis cruribus saltuatim currentes, viuacissima pernicitate campos transmitterent. Vt verbo me expediam: vera crederes instrumenta musica, ob figurae similitudinem, nisi quod duas haberent manus ac brachia. Altera manu tenebant plectrum, altera chordas pulsabant. Interpres noster ad colloquium incolas prouocans, instrumentum, quod secum portauerat,

252 |

Sustinet a laeua, tenuit manus altera plectrum,
Artificis status ipse fuit: tum stamina docto
Pollice sollicitans,

mox responsum e chordis sonantibus tulit, adeo, vt alternis vicibus, diu modulando, sensus exprimerent. Initio non nisi *Adagio* modulantur, idque satis harmonice, mox vero ad dissona dilabuntur, quae auribus obstrepunt. Tandem vero musica in dulcisonum, et gratum *Praesto* terminatur. Id quod cum nostri audirent, gaudio exultabant, dicentes, de pretio mercium iam esse conuentum. Patuit mox, primum *Graue* nil nisi sermonis denotasse praeludium, ac in mutuis salutationibus constitisse. Durantibus vero dissonantiis, de pretio fuisse disputatum, ac tandem dulcisonum *Praesto* significasse negotiorum felicem transactionem: nam paulo post exonerata fuit nauis. Inter merces, quae huc afferuntur, maximi momenti est colophonium, quo plectra, siue arcus, loquelae

253

instrumenta, oblinunt terrae musicae incolae. Hinc criminis |conuicti, plectri priuatione ex iudicis sententia multcari solent, et perpetua plectri priuatio instar poenae capitalis est. Cum litem, foro nobis vicino, iudicari audirem, eo accurrebam, processum iuris musici auditurus. Causidici loco sermonis plectra mouebant, e chordis ventri impositis sonum elicientes, adeo, vt in argutis, ac gestuosis manibus omnis eloquentia resideat] elicientes *A B;* elicientes *Elberling SS Kragelund (verba* adeo ... resideat *post* exaudiebantur *in A, B et editionibus prioribus posita sunt, vide comm.)*. Durante actione, non nisi dissonantiae exaudiebantur] exaudiebantur, adeo, vt in argutis, ac gestuosis manibus omnis eloquentia resideat. *A B;* exaudiebantur, adeo, vt in argutis, ac gestuosis manibus omnis eloquentia resideat. *Elberling SS Kragelund (verba* adeo ... resideat *in hac editione post* elicientes *posita sunt, vide comm.)*. Finita vero litis disceptatione, exsurgens iudex, arrepto plectro, *Adagio* modulabatur, quod idem est, ac sententiam pronuntiare; nam aduolarunt subito sententiae executores, damnato plectrum adempturi. Pueri hic speciem praebent instrumentorum, quae nos vocamus *Stokviolen*. Iisdem nulla dantur plectra, antequam tertium annum impleuerint. Quartum annum ingressi, in scholas mittuntur, vt a praeceptoribus discant, plectrorum reciprocatione sonos chordarum elicere, hoc est, quod nos dicimus, in literis erudiri, manentque sub informatorum ferulis, donec rite modulari,
254 ac absque chordarum stridore plectra reciprocare didicerint. Mire passim ab |his pueris, modulando nos persequentibus, vexabamur. Interpres noster loquelae musicae gnarus, colophonium emendicare asseuerabat symphoniacos pueros. Dum mendicabant, sonum *grauem* siue *Adagio*; cum vero compotes votorum facti essent, celerem et acutum sonum, seu *Praesto* ediderunt: nam ita gratiarum actio exprimi solet. Repulsa vero omnem istum Heliconem exanimat.

Rebus nostris bene, et ex voto peractis, circa finem mensis *Cusan*, terram musicalem relinquimus, ac post aliquot dierum nauigationem conspicamur noua litora, e quorum foetido odore coniecimus, *Pyglossiam* esse. Incolae huius terrae hominibus haud sunt dissimiles; distant in eo, quod ore destituti, per posteriora loquantur. Primus, qui ad nauim nostram accessit, opulentus erat mercator. Ille, secundum gentis consuetudinem, per posteriora nos salutabat, moxque de pretio mercium pacisci incipiebat. At, magno meo malo tunc aegrotabat tonsor noster, quocirca Pyglossiani tonsoris opera vti cogebar. Nam, cum tonsores hic
255 loquaciores fere |sint Europaeis, tetro, dum barbam radebat, odore stabulum repleuit, adeo, vt post discessum eiusdem thura adolere coacti

fuerimus. Adsuetus iam adeo eram rebus stupendis, ac naturae aduersis, vt nihil paradoxon amplius videretur. Cum ingrata ac molesta ob hoc vitium nobis esset conuersatio cum *Pyglossianis*, iter maturantes, paulo ante tempus definitum ancoras soluimus, maxime, cum a diuite quodam Pyglossiano ad coenam inuitati fuerimus. Ad inuitationem enim humeros contraximus omnes, et nemo condicere voluit, nisi sub lege perpetui, dum coenaremus, silentii. E portu abeuntibus, Pyglossiani in litore stantes, felicem nauigationem per posteriora optabant, et cum ventus e litore flaret, nutu et manuum signis, vt salutationibus parcerent, monebamus. Nam et nimia vrbanitas molestiam parere potest. Merces, quas huc afferunt *Martiniani*, sunt aquae rosarum, balsamum, et diuersa aromatum fragrantium genera.] *A,* genera. Docui, gentem hanc, quoad corporis formam non differre ab hominibus, nisi in eo quod per posteriora loquatur, quamuis non desint in orbe nostro homines, qui tam loquela quam corporis figura exscribunt *Pyglossianos*. Cogitabam mecum: quid, si huc diuerterent *Janus Seuerini, Olaus Petri, Andreas Laurentii*, aliique honesti viri, qui cynico candore rem quamuis suo nomine appellant, & quicquid circa præcordia versatur effutiunt, facile apud *Pyglossianos* ob loquelæ affinitatem ius ciuitatis obtinerent, ac in vnam gentem coalescerent. Nam quid refert in qua parte corporis positum sit os, modo eadem virtus, idem eloquium Atque eadem sentina, grauem quae spirat odorem *B*

Cursum hinc dirigimus ad terram glacialem, foedam adeo
256 horrendamque adspectu, vt nulla vnquam regio infelicior |ac miseratione dignior mihi sit visa, cum non nisi montes, perpetua niue tecti, oculis sistuntur. Inter montium cacumina, vbi nullus admittitur sol, sparsim habitant incolae, qui omnes e glacie sunt formati. Nam quicquid inter vertices rupium est, infesto rigore, et aeterno gelu premitur omne. Hinc quoque perpetua est caligo; et, si qua lux detur, sola pruina albicans est. At, subiectae valles exustae flammis, et crematae vapore torrentur. Hinc incolae in valles descendere, nisi turbido et caliginoso coelo, non audent; et quam primum minimum solis radium conspicantur, aut ad montes reuertuntur, aut in cauernas se praecipites dant. Saepe vsu venit, vt e montibus descendentes, in itinere aut liquescant, aut aliud malum subeant. Hinc legum ruptores, aethere caligante, in planitiem deducti, palo alligantur, incendio sideris exponendi. Terra haec omnigena producit mineralia, excepto auro. Mineralia haec cruda ab aduenis mercatoribus auferuntur; nam indigenae caloris impatientes, metalla excudere nequeunt. Creditur commercium glaciale omnium *Mezendoricorum* maxime fructuosum.

257 |Omnes hae terrae, quarum conspectum dedi, parent magno Imperatori regionis *Mezendoricae* proprie sic dictae; vnde reliquae a nauigantibus vulgo cognominantur insulae Mezendoricae, quamuis propriis nominibus a se inuicem discriminentur, vti in itinerario hoc monstratum est. Istud non minus amplum, quam mirabile imperium, huius itineris terminus est ac centrum. Post nauigationem octidui, ad metropolin imperialem peruenimus, vbi, quicquid de societatibus animalium, arborum, ac plantarum cecinerunt Poëtae, hic reuera existere deprehendimus. Nam *Mezendoria* tanquam communis patria est animalibus, arboribus, ac plantis, ratione praeditis. Quoduis ibi animal, quaeuis arbor, ius ciuitatis acquirit, modo regimini, ac legibus publicis se subiiciat. Crederes quidem, mixturam tot creaturarum diuersae formae, et diuersae oppositaeque naturae, confusionem ac turbas parere debere. At, ipsa contrarietas felicissimum producit effectum, virtute prudentissimarum legum ac constitutionum, quae miscellaneis his
258 subditis, pro naturae ac ingenii modulo, ne|gotia ac munera, vnicuique apta et conuenientia assignant. Ita ex. gr. e gente leonum, ob insitam magnanimitatem, desumuntur imperantes: Elephanti, ob iudicii acrimoniam] *B,* acrimoinam *A* , membra magni senatus fiunt: ad aulica officia admouentur chamaeleontes, cum variabiles sint, ac temporarii. Militiam terrestrem componunt vrsi, tigres, et id genus bellicosa animalia: in militiam vero naualem cooptantur boues et tauri. Nam cum simplices ac honesti, at parum simul morati, duri, et inflexibiles sint nautae, cumque vitam sectentur, rudi elemento, cui subsunt, conformem, nautica ministeria iisdem assignantur. Seminarium quoque est vitulorum, siue tyronum militiae nauticae (*Zee-Cadetten*] *A,* See-Cadetten *B*), e quibus nauarchi ac praefecti maritimi desumuntur. Arbores, ob natiuam temperiem, vulgo fiunt iudices: Anseres summorum tribunalium sunt aduocati, et picae in curiis inferioribus causas agunt. Vulpes plenipotentiarii, legati, consules, agentes, ac secretarii legationum fiunt. Corui bonorum haereditariorum, siue iacentis haereditatis administratores vulgo fiunt. Capri sunt Philosophi, in primis vero
259 Gram|matici, idque respectu qua cornuum, quibus aduersarios, ob res leuissimas impetere, ac arietare solent, qua barbarum venerabilium, quibus inter omnes creaturas sunt spectabiles. Equi sunt consules ac senatores ciuitatum: Proprietarii, siue fundorum ruralium domini, ac agricolae serpentes, talpae, glires ac mures. Aues cursorum et nuntiorum

munera implent. Asini, ob vocis stridorem, sunt diaconi. Lusciniae] Luciniae *A B;* Lusciniae *ed1754* cantorum ac tibicinum officiis funguntur. Galli gallinacei vrbium sunt vigiles, qui excubias agunt. Canes portarum custodes. Lupi sunt quaestores aerarii, teloniorumque inspectores, et accipitres eorundem sunt ministri.

Egregiis his institutis efficitur, vt muneribus publicis optime sit prospectum, ac, vt omnia strenue, et concinno ordine agantur. Debet igitur hoc imperium exemplar esse, quod in rebus publicis constituendis exscribant Legislatores. Nam, quod tot alibi dentur miseri, et muneribus impares viri, oritur non tam a subditorum hebetudine, quam a prauo ac peruerso ingeniorum delectu: hoc vero rite ac solicite habito, ac viris
260 prudentibus et stre|nuis, non ob quoduis meritum, sed ob singularem, ad certa munera aptitudinem, promotis, publica passim munera egregie administrabuntur, et aeternum florebit respublica. Quam salutare hoc institutum sit, imperii huius exemplum euincit. Testantur annales *Mezendorici*, trecentis abhinc annis, ab imperatore *Lilako*, antiquatam hanc legem, muneraque publica promiscue collata in omnes, modo praeclari aliquid fecissent, aut virtute aliqua conspicui essent. At, promiscua haec munerum distributio, tot tantasque turbas ciebat, vt actum breui de republica videretur. Ex. gr. Lupus rebus aerarii egregie administratis, ob meritum istud maiorem sibi dignitatem deberi contendens, fit senator: arbor vero, ob vim iudicandi spectabilis, idem ob meritum, aerario praeficitur. Promotione ista praepostera, duo simul strenui viri, reipublicae prorsus inutiles redditi sunt. Porro caper, siue Philosophus, qui ad coelum a scholasticis, ob constantiam in defendendis mordicus thesibus suis, tollitur, laudibus his inflatus, splendidum aliquod
261 munus aucupatur, et primum in aula vacantem locum petit, ac |obtinet. Chamaeleon vero, ob morum vrbanitatem, et quod tempori obsecundare nouerit, ob istud meritum professione academica, quam ambit ob lucrum, donatur. Hoc efficitur, vt ille non minus absurdus fiat aulicus, quam strenuus fuerat Philosophus: hic vero ex optimo aulico, in Philosophum] Philosopho, in aulicum *A B;* aulico in Philosophum *Elberling* ineptissimum transformetur. Nam constantia ista in defendendis opinionibus, quae philosophum ornauerat, aulicum deformat, cum leuitas ac fluctuatio in aulis sint virtutes cardinales, et aulicus, non tam id, quod verum est, quam id, quod tutum, sectans, prout adspectus aulici sunt, varias induit formas. At, quod vitium est in aulis, virtus audit in scholis, vbi ardor iste sententiam

mordicus propugnandi, strenui ac gnaui viri sit nota. Vt breui praecidam: cuncti simul subditi, etiam ii, qui ob certas animi dotes inter alios eminuerant, hac legis mutatione redditi sunt nauci, ac nullius vsus, ac respublica nutare coepit. Quocirca, cum in praeceps omnia ruerent,
262 prudentissimus quidam elephas, siue senator, nomine *Baccari*, malum istud Imperatori pathetice exposuit. Impera|tor de rei veritate conuictus, vitio huic mox obicem ponere decreuit. Reformatio hunc in modum processit: non omnes simul officiis remouebantur; nam ita agendo, remedium morbo peius fuisset: at, vacantibus officiis, vnusquisque, relicto, cui impar erat,] erat *A B;* erat, *Elberling,* erat *SS* munere, ad nouum, cui aptior erat, transferebatur. Ob hanc patriae praestitam operam, cuius egregius mox innotuit effectus, *Baccari* posita fuit statua, quae adhuc in foro *Mezendorico* conspiciendam se praebet. Ex eo tempore antiquae leges sancte obseruantur.

Testatus est interpres noster, historiam hanc narratam sibi fuisse ab ansere quodam, quem arcta familiaritate complectebatur, quique inter consultissimos totius vrbis causidicos numerabatur. Multa in hac regione insolita, imo prorsus stupenda occurrunt phaenomena, quae alienigenarum, ac peregrinantium oculos in se conuertere queant. Solus iste adspectus diuersi generis animalium, scil. vrsorum, luporum,
263 anserum, picarum etc. regionibus ac vicis vrbis inerrantium, ac ser|mones serentium, admirationem simul ac voluptatem apud insuetos id genus spectaculorum excitat. Primus, qui nauem nostram ingressus est, lupus erat macilentus, siue telonii inspector, stipatus quatuor accipitribus, siue ministris, quos] *A,* quod *B* Europaei *Visitatores* nominant. Hi e mercibus auferebant, quicquid ad palatum erat, eoque satis indicabant, in arte, quam profitebantur, bene esse institutos, ac ad vnguem omnia scire. Nauarchus, pro solita sua benignitate, quoties naui egrediebatur, me sibi comitem adiunxit. In terram exscendentibus, primus obuius fuit gallus gallinaceus, qui, postquam pro more causam itineris, ac patriam sciscitatus fuerat, aduentum nostrum telonii praefecto indicabat. Humaniter ab eodem excepti, ad coenam inuitamur. At, vxor illius, cuius formam inter lupas celebrari audiuimus, non aderat. Absentiae causa, prout ab aliis accepimus, erat zelotypia mariti, qui non consultum duxit, tantae formae mulierem conspiciendam praebere aduenis, maxime vero nautis, qui longa continentia exhausti, ac esurientes, matronas ac
264 virgines, in portum delati, ardenter ve|nari solent. Variae tamen aliae

matronae ad coenam admittebantur: inter easdem erat vxor cuiusdam nauarchi (Commendeur) quae vacca erat, candida, atris maculis interstincta. Proxima huic accumbebat felis nigra, vxor scil. venatoris regii, quae nuper e prouincia in vrbem venerat. Inter conuictores proxima mihi erat scropha versicolor, vxor inspectoris cloacarum (*Renouations-Inspecteur*),] (Renouations-Inspecteur) *A B;* (Renouations-Inspecteur); *Elberling Kragelund,* (Renouations-Inspecteur) *SS* nam, qui eiusmodi munera obeunt, e gente porcia] *A B;* porcina *Elberling SS Kragelund* vulgo sumuntur. Erat illa sordida quidem, ac illotis manibus vescebatur, id quod in ista gente frequens: at officiosa admodum mihi simul videbatur; nam cibum e patina communi identidem mihi porrigebat. Mirabantur omnes insolitam istam humanitatem, in primis cum scrophis morum elegantiae non sint gentilitiae. At, mallem ego, minus cultam, cum e scrophae manibus cibum capere valde esset molestum. Notandum hic est, incolas Imperii *Mezendorici*, quamuis brutis, quoad corporis formam, sint similes, manibus tamen esse praeditos] praeditas *A B,* praeditos *Elberling* et digitis, qui e pedibus] pedibns *A*
265 anterioribus prominent, in quo solo a quadrupedibus nostris differunt, et |cum obsita sint corpora aut pilis, aut pennis, vestibus non indigent. Tantum diuites a pauperibus distinguuntur certis ornamentis, ex. gr. collaribus, ex auro vel margaritis confectis, siue fasciis, cornua tortuoso volumine ambientibus. Tot fasciarum] *B,* fascium *A* compagibus ornatum erat caput vxoris nauarchi, vt cornua eiusdem vix discernere liceret. Excusabat illa absentiam mariti, dicens, lite, qua nuper implicitus erat, distentum, domi teneri, senatumque habere cum duabus picis, siue causidicis, qui postridie causam illius in foro agerent.

Coena finita, varia ista porca, vxor inspectoris cloacarum, cum interprete nostro secretum habuit colloquium, in quo amore se mei captam testatur: patientem ille solatur, ac remedium amoris pollicitus, me expugnare aggreditur: et, cum verbis se nihil proficere cerneret, fugam hortatur, cum sciret, omnem lapidem moturam matronam, vt voti compos fieret. Ex eo tempore in naui me continui, maxime, cum audirem, veterem huius matronae amasium, scil. philosophiae quendam
266 studiosum, zelotypia accensum |vitae meae insidiari. At, ipsum nauis munimentum, aduersus matronae iteratos impetus, me vix tutabatur, quippe iam per internuncios, iam per epistolas, ac amatoria carmina, cordis mei duritiem emollire tentabat. Nisi subsequenti naufragio perditae fuissent literae istae, specimen poëseos porcinae exhibere

potuissem. At, memoria mea cuncta exciderunt, nihilque retinui, praeter carmina ista, quibus formam suam semel ita praedicat:

Nec, mihi quod rigidis horrent densissima setis
Corpora, turpe puta. Turpis sine frondibus arbor;
Turpis equus, nisi colla iubae flauentia velent:
Pluma tegit volucres; ouibus sua lana decori est;
Barba viros, hirtaeque decent in corpore setae.

Mercium permutatio tanta celeritate facta est, vt intra paucos dies vela facere potuerimus: at, iter nostrum non nihil remorabatur, exorta eodem
267 tempore lis, |inter nautas nostros, in procinctu iam stantes, et ciues quosdam *Mezendoricos*. Causa litis haec erat: nautam quendam *Martinianum*, forte per vrbem ambulantem, cuculus quidam dicteriis petens, per ludibrium *Peripom* vocitabat, id quod denotat histrionem apud nos. Nam, cum balatrones, et comoedi in hac regione vulgo simiae sint, nautam hunc pro histrione cepit cuculus. Ille vero, iniuriae impatiens, derisorem fustuario salutat, ictuque duplicato paene elumbat. Fidem Quiritium mox inclamans cuculus, circumstantes prouocabat testes, quos postridie in foro examinandos stitit. Testibus examinatis, rem ad senatum vrbis detulit. Nauta igitur, linguae ac iuris *Mezendorici* ignarus, picam, siue causidicum, causae suae patrocinaturum, conducere cogitur. Acta sic causa fuit coram senatu, et, post vnius horae iurgium, lata est sententia huius tenoris: *Vt cuculus, tanquam aggressor, culpae suae pretium ferat, ac litis aestimationem praestet;* quam tamen, vti fieri vulgo solet, salarium causidici absorpsit. Senatores, qui hanc causam
268 diiudicabant, erant equi, quorum |duo consules dicebantur, et quatuor senatores. Iudicio aderant totidem pulli, qui vota tantum deliberatiua, non vero decisiua habebant, et ad eiusmodi actus admittebantur tanquam tyrones, ac iuris candidati. Audiui, in aliis collegiis eadem esse seminaria, e quibus desumi solent tyrones maturiores, vt vacua loca impleant.

Negotiis prospere peractis, ac nauigio rebus pretiosissimis onusto, reditum in patriam meditamur. Postquam in altum delati fuimus, repentina tranquillitas intermisit cursum: hinc alius exultantes fuscina quaerebat pisces, alius hamis blandientibus conuellebat repugnantem praedam. Mox modicum ventum nacti,

– – – castra mouemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.

Postquam diu prospera aura, ac ferentibus ventis mare sulcaueramus, nouas conspicamur Sirenes,

– – – quae multa aspergine rorant,
Emerguntque iterum, redeuntque sub aequore rursus,

269 |horrendum per interualla ac funestum eiulatum edentes. Ingenti istud terrore affecit nautas, vtpote experientia edoctos, lugubrem istam musicam, procellas ac naufragia portendere solere. Hinc ex instanti carbasa maiora demittuntur, et in sua quisque ministeria distribuitur. Vix defuncti erant hoc opere, cum atris coelum nubibus obduci, ac abruptis procellis aequora intumescere coeperint, adeo, vt gubernator nauis, qui annos fere quadraginta maria subterranea arauerat, sancte testaretur, horrendam magis tempestatem se nunquam fuisse expertum. Cuncta, quae in tabulatis nauigii strata iacuerunt, iam innatabant aquis, quae partim ex irrumpentibus vndis, partim etiam ex immodico agmine imbrium, cum tonitru ac fulgure cadentium, nascebantur, adeo, vt cuncta simul elementa in perniciem nostram conspirare viderentur.

– – – Iactamur gurgite vasto;
Inuoluere diem nimbi, et nox humida coelum
270 |*Abstulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.*
Excutimur cursu, et caecis erramus in vndis.

Disrumpitur mox media nauis arbor, quam secutae sunt caeterae. Hinc mortis imago omnium oculis obuersabatur. Hic vxorem et pignora inclamauit, ille amicos ac necessarios, totumque nauigium lugubri vlulatu exsonuit. Igitur gubernator nauis, quamuis exspes ipse, verbis eosdem demulcere cogitur, ac monere, vt cessarent, nil profuturis gemitibus pectora diducere. At, perorantem in mare ventus excussit, repetitumque infesto gurgite procella circumegit ac hausit. Idem fatum subierunt et tres alii, inter quos erat consiliarius commercii, cum duobus nautis. Vniuersalem istam calamitatem solus ego patienter tuli, cum pertaesus vitae, nullo reuertendi in *Martiniam* studio ducebar, vbi libertatis ac existimationis iacturam feceram, ac proinde in eorum numero eram,

Quos neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent.

271 |Tantum miseratus nauarchum nostrum, ob praestitam mihi, in toto hoc itinere, beneuolentiam, verbis conceptissimis demissum illius animum

erigere conabar: at, frustra eloquentiam exercui, nam in gemitibus, et muliebri eiulatu perseuerabat, donec ab ingruente vnda decumana, in pelagus excuteretur. Ingrauescente tempestate, nulla nauis vlterior erat cura, non arbor erat relicta, non gubernaculum, non funis aut remus, sed quasi rudis ac infecta materies ibat cum fluctibus. Integrum triduum, a procellis istis ita iactamur, metu mortis, ac ieiunio torpentes. Serenius quidem coelum per interualla apparuit, at eadem semper erat tempestatis pertinacia. Superstitibus nautis tandem nonnihil solatii attulit conspecta procul terra, rupibus ac montibus aspera, et, cum in litora ventus ferretur, spes erat, breui nos eo appulsuros. Fieri id quidem nequibat absque naufragio, ob litorum asperitatem: at, verisimile erat, si non omnes, tamen nonnullos, ope tabularum naufragarum, mortis discrimen pro tempore euasuros. At, dum ista nos spe lactamus, in medio maris latenti
272 scopulo | alliditur ratis, idque tanto impetu, vt tota soluta compage, in centum fere fragmenta scindatur. In hoc aestu tabulam ego arripui, comitum meorum securus, nam de propria tantum salute anxius eram, et quamnam sortem illi experti sint, etiamnum quaero. Verisimile est, omnes misere periisse, cum neminem in hanc terram delatum audiuerim. In litora ego beneficio fluentis, ac vndarum magna celeritate feror, id quod saluti mihi fuit; nam, si aliquanto diutius in illo statu permansissem, fame] *A,* fama *B* ac labore extenuatus sine dubio periissem. Postquam intra promontorium quoddam delatus eram, detumuit vnda, turbatique maris sonus tantum, isque iam languidus ac desinens audiebatur. Tota haec regio montana est: hinc montium flexus crebrique vertices, confracta in humeros iuga, et concaui vallium sinus, inaequaliter aërem scindunt; quae causa etiam voces multis in locis reciprocas facit. Cum litus me prope iam attigisse cernerem, altum exclamaui, sperans, ad clamorem] clamorum *A B;* clamorem *Elberling SS Kragelund* excitatos litoris accolas, auxilio mihi
273 venturos. Ad primum clamorem nulla redditur echo: at, |cum integrarem, sonus quidam] *A,* quidem *B* e litore exauditur, ac procurrere e syluarum latebris videbam incolas terrae, ac scapha quadam mihi obuiam ire. Facta erat scapha ex arbuteis virgis, et vimine querno, id quod satis indicabat, non valde moratam et excultam esse hanc gentem. At, adspectus remigantium miro] *B,* mero *A* me gaudio affecit; nam quoad formam corporis nihil ab hominibus differebant, et soli erant homines, quos in toto hoc itinere subterraneo videre mihi contigerat. Similes sunt hominibus nostri orbis, sub zona torrida degentibus; nam barbas habent nigras, et capillos

vibratos, et qui flauos et promissos habent crines, inter monstra referuntur. Tandem ad fragmentum nauis, quo ferebar, appellunt, manusque suppliciter me tendentem excipiunt,

Et sale tabentes artus in litore ponunt,

vbi cibo ac potu, quamuis rudi ac plebeio, refocillatus, (nam integrum triduum cum siti ac inedia pertinaciter depugnaueram) breui conualui.
274. |

CAPVT XII.
APPVLSVS AD LITORA QVAMITICA.

Interea ingens vndique fit hominum confluxus. Iidem ad colloquium me identidem prouocabant, sed ignarus sermonis, quid responderem, nesciebam. Verba, quae saepius repetebant, scilicet *Dank Dank*, cum germanica esse viderentur, respondebam primum germanice, mox danice, ac tandem latine: sed ignotas sibi has linguas esse capitum concussione monstrabant. Tentabam denique linguis subterraneis scilicet *Nazarica* et *Martiniana*, mentem indicare, sed frustra. Hinc coniiciebam, gentem hanc esse insociabilem, ac nullo commercii foedere cum aliis subterraneis iunctam, ideoque necesse mihi esse, etiam in hac regione repuerascere, ac ludo literario rursus initiari.

Postquam diu sermones miscueramus, sed ita, vt alter alterum non
275. intelligeret, deducor ad casulam vimineam: nullae ibi |erant sellae, nulla scamna, nullae mensae: nam humi sedentes cibum capiebant, defectuque cubilium, solo interiecto stramento, promiscue pauimento pernoctabant, id quod eo maiorem mouit admirationem, cum densissimis syluis regio abundet. Sola alimenta erant lac, caseus, panis hordaceus, et caro, quam pruinis imponere solebant, rei coquinariae omnino ignari. Breui: tales fere erant, quales primi homines,

Queis neque mos, neque cultus erat; nec iungere tauros,
Nec componere opes norant, aut parcere parto;
Sed rami atque asper victu venatus alebat.

Hinc Cynicam vitam hic diu traduxi, donec in lingua tantum proficerem,
vt cum incolis loqui, ac ignorantiae eorum succurrere possem. Et sane
minima, quae dabam praecepta, tanquam oracula habita fuerunt. Hinc
cuncti, e pagis circumiacentibus nominis mei fama exciti, cateruatim ad
me, tanquam ad insignem Doctorem, de coelo sibi missum, confluebant.
276 |Et audiebam, nouam temporis epocham, ab aduentu meo, a nonnullis
statui. Haec omnia eo gratiora mihi erant, quoniam in *Nazar* ac *Martinia*,
illic ob velox ingenium ac temeritatem, hic ob hebetudinem, omnibus
ludibrio fueram. Animaduertebam tunc, verum esse tritum istud, scilicet
inter coecos regnare strabones. Nam in terram veneram, vbi triuiali
eruditione, ac rebus fere nihili, illustrem me reddere, ac ad summos
honores ascendere poteram. Et ampla erat occasio, vires meas experiundi,
cum omnia large ad vsus humanos suggereret haec regio: nam terra
sponte quam plurima fundit, creditum foenus optima fide reddit, et tam
deliciis, quam necessariis famulatur. Non indociles quidem erant huius
terrae incolae, neque ingeniis plane destituti: at, cum nil didicissent, in
spississima caligine versabantur. Narranti mihi genus, patriam,
naufragium, et alia, quae in itinere meo expertus eram fata, nemo fidem
habuit. Credebant potius, me solis esse incolam, et ab hoc astro
descendisse: quocirca vulgo me *Pikil-Su*, id est, legatum solis, vocitabant.
277 Existentiam quidem |Dei non negabant, sed de probatione tanti dogmatis
non erant soliciti, sufficere sibi credebant, maiores ita credidisse: hoc solo
dogmate tota eorum theologia absoluebatur. In studio morali solum istud
praeceptum didicerant: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Nullis
suberant legibus, sola Imperatoris voluntas lex erat, ac nulla proinde, nisi
publica crimina, puniebantur. Alia si quis facinora perpetrauerat,
praesentiam illius fugiebant caeteri, et contemptus iste nocentibus tam
grauis ac intolerabilis erat, vt non pauci, aut aegritudine animi,
occumberent, aut violentas sibi manus prae taedio vitae inferrent.
Chronologiam ac temporum computationes ignorabant, tantum ab eclipsi
solis, quae per interpositionem planetae *Nazar* fit, annos computabant:
Adeo, vt, cum de aetate alicuius quaereretur, tot eclipses vixisse
responderetur. Physica eorum ieiuna admodum et absurda erat:
credebant, solem esse auream laminam, ac planetam *Nazar* caseum. Cum
quaererem causam, cur statis vicibus cresceret, ac decresceret planeta
278 *Nazar*, respondebant, istud se nescire. Diuitiae |et facultates maxime in
porcis consistebant, quos in syluam missos, notis ac characteribus

distinguebant, et aestimabantur vniuscuiusque opes e numero porcorum. Ingratas arbores, ac glandem non ferentes, flagellis caedere solebant, quoniam sterilitatem istam ab inuidia ac malitia earundem fluere stolide credebant.

Talis erat status miserae huius gentis, quam artibus, ac praeceptis ad humanitatem perduci posse mox desperabam, at, ad animum reuocans istud

Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit,
Si modo culturae patientem praebeat aurem,

in gentis barbarae cultura omne studium posui, eamque ob operam, tanquam diuinus homo, inter illos habitus sum, tantaque de sapientia mea erat praesumtio, vt nihil mihi impossibile crederent.

Hinc vbi oues furto, morbo periere capellae,
Spem mentita seges, bos est enectus aratro,
Offensi damnis media de nocte ruebant

279 |ad tugurium meum, opem humiliter implorantes. Ante postes ianuae meae procumbentem vidi villicum quendam, in lacrimas effusum, ac manibus, vsque ad articulorum strepitum, contritis, opem meam implorantem. Doloris causam me quaerente, de arborum suarum contumaci sterilitate queritur, humillime petens, autoritate mea efficerem, vt glandem illae pro more ferrent. Audiebam, totam hanc terram parere regi, cuius sedes eodem tempore octo dierum itinere distabat a vico, vbi tunc commorabar; dico eodem tempore, quoniam ambulatoria erat metropolis, et pro aedibus fixis tentoria habebat, quae cum familia regia ac subditis, ex vna in alteram prouinciam, transferri solebant. Rex, qui tunc sceptra tenuit, erat vir aetate profectus**]** *A,* provectus *B;* provectus *Elberling Kragelund (SS* provectus *in app. commendat)*, et dicebatur *Casba*, id quod magnum Imperatorem denotat. Merebatur quidem regio haec, respectu terrarum, quas ingenti tractu perreptat, regnum dici, sed ob ignorantiam incolarum, viribus vti nescientium, exigui ponderis habita fuit, ideoque vicinorum insultibus ac ludibriis exposita, saepe gentibus maxime ignobilibus tributum pendere coacta fuit.

280 |Fama nominis mei, ac virtutum mearum, per cunctas breui prouincias diffundebatur. Nihil, nisi me, tanquam oraculo, consulto, ex eo tempore suscipiebant incolae, et quoties res susceptae destituebantur

successu, a maleuolentia et frigore meo id oriri credebant. Hinc erant, qui sacrificiis iram meam placare conabantur. Stupidissimae gentis ineptias omnes enumerare supersedeo: sat erit, vnam vel alteram afferre, vnde de caeteris facilis erit coniectura. Grauida mulier effici posse opera mea credebat, vt foetus, quem in vtero gestabat, sexus virilis foret: alius, vt parentibus senio effoetis, aetatem et annos redderem iuueniles, orabat: tertius, vt per aethera se efferrem ad regionem solis, e cuius gremio, auri, quantum opus esset depromeret, ac thesauro onustus inde reuerteretur. His et multis aliis petitionibus eiusdem farinae misere vexatus, seuera oratione stultitiam eorum saepe castigare cogebar; nam verebar, ne nimia ista de potentia et virtutibus meis praesumtio in cultum tandem diuinum terminaretur. Tandem

– – – – longaeui regis ad aures
281 |*Nuntius ingentem peregrina in veste reportat*
Advenisse virum, – – –

qui solis legatum se dixerat, quique sapientissimis, et fere diuinis praeceptis *Quamitas* aliquot (ita vocabantur incolae huius regionis, cui nomen *Quama*) imbuendo, homine se maiorem ostenderat. Hinc legatos illico ablegauit cum mandatis, vt ad regiam vrbem me inuitarent. Erant legati numero triginta, tecti omnes pellibus tigrium, qui ornatus in his terris honoratior censetur, quoniam vsus earundem pellium nemini conceditur, nisi praeclare rem gesserit in bellis contra *Tanachitas*. (Tigres hi erant rationales, et *Quamitarum* infensissimi hostes.) Interea temporis in vico isto, vbi tunc haerebam, saxeam domum, duarum contignationum, ad exemplar aedificiorum Europaeorum, exstrui curaueram. Istam domum, tanquam stupendam molem, et vires humanas excedentem intuebantur legati, ideoque religiosa eandem veneratione, tanquam sanctuarium, intrabant, mandatum imperatoris ad me perlaturi. Formula
282 mandati, qua vtebantur, his verbis concepta erat: |“Cum magnus Imperator Casba, clementissimus eorum Dominus, maiores suos et prosapiam deduceret a Spynko, solis filio, qui primus Quamae sceptra tenuerat, nil gratius sibi accidere potuisse hac legatione, maxime cum tenderet ad summam imperii vtilitatem, et spes esset, sub insigni adeo et coelesti Doctore, totius regni mox aliam fore faciem;] faciem, *A B;* faciem; *Elberling,* faciem, *SS Kragelund (SS* faciem; *in app. proponit)* sperabat igitur, eo lubentius] *A,* lubentibus *B* in aulam regiam venturum legatum, quo maior et spatiosior in

metropoli daretur campus, virtutes suas exserendi.” Finita oratione, humillimas ego gratias agens, cum legatis in regiam proficiscor. Itineri huic quatuordecim dies insumpserant legati: at, reuertentibus quatridui tempus sat erat, id quod arte mea effectum est: Nam, cum animaduertissem, ingentem in his terris esse equorum prouentum, eosdemque oneri potius, quam vsui esse incolis, cum syluis ferarum instar inerrarent, monstraui vtilitatem, quae ex vsu generosissimorum
283 animantium comparari potuit, artemque domandi docui. Domiti fuere mox aliquot equi, et cum adessent legati, tot iam habebam paratos |et instructos, quot reuersuris in itinere esset opus. Ad equorum adspectum stupentes legati, in eosdem conscendere diu dubitarunt: at, cum me, vna cum aliis, absque metu et periculo eosdem capistris moderari, ac fraenis circumagere viderent, post leue quoddam tentamen animum resumunt, et vecturae huic se accommodant. Et haec erat causa, cur abitu triplo celerior fuerit reditus. Cum prope locum ventum est, vbi regia vrbs credebatur, audiuimus, in aliam prouinciam metropolin esse translatam: hinc iter remetiri, et cursum alio flectere cogimur.

Vix exprimi potest, quanto cum stupore nos, eo ornatu incedentes, intuiti fuerint *Quamitae*. Nonnullos tantus terror inuasit, vt regiam vrbem deserere molirentur. Ipse Imperator intra limina tentorii se trepidus continuit, nec foras egredi ausus est, antequam vnus legatorum, equo descendens, mysterium istud explicuerat. Paulo post in tentorium Imperatoris solenniter, et ingenti comitatu introducor. Sedentem ibi
284 peristromate conspiciebam *Casbam*, aulicorum corona |cinctum. Ingresso tentorium, ac humillimis verbis benignitatem Imperatoriam praedicanti, assurrexit Imperator, rogans, quid ageret solis Monarcha, familiae Quamiticae auctor, et primus parens. Ad quaestionem hanc, cum opus esset, veterem Quamitarum errorem fouere, respondebam: a Monarcha Solis me in terram demissum, vt praeceptis salutaribus rudes Quamitarum mores emollirem, artesque patefacerem, quibus non modo ferociae finitimarum gentium resisterent, sed et fines imperii proferrent, datumque mihi in mandatis esse, perpetuo hic vitam agere. Grata erat Imperatori oratio: iussit illico tentorium mihi erigi, ac prope suum statui, adsignati mihi etiam sunt quindecim apparitores, quorum ministerio vterer, nullaque in re Domini supercilium induebat, sed amici quaerebat obsequium.

285 |

CAPVT XIII.
PRIMORDIA QVINTAE MONARCHIAE.

Ex eo tempore totus in eo eram, vt regioni huic nouam formam darem, et iuuentutem in re militari erudirem.] *A,* erudirem, *B*

Ante vrbem hinc pueri, et primaeuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitantque in puluere currus;
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent. – –

Ab equis vero domandis, et vsui bellico aptandis, initium sumpsi, sperans, solo equitatu finitimos in officio continendos. Assidua mea cura effectum est, vt breui sex equitum millia Imperatori sisterentur. Et cum eodem tempore, *Tanachitae* nouam inuasionem meditarentur, ob dilationem annui tributi, cuius solutionem frustra vrserant, rogatu Imperatoris, cum
286 |nouo equitatu, cui pedestris exercitus addebatur, hostibus obuiam iui. Copias pedestres hastis armaueram ac iaculis, quibus eminus cum Tanachitis pugnarent: nam breuibus tantum gladiis, aut pugionibus, adhuc vsi fuerant Quamitae; quam ob causam cominus semper cum ferocissimis hostibus, qui corporis viribus valentiores erant, impari semper marte congressi fuerant.

Dux exercitus iam constitutus, cum animaduerterem, Tanachitas haud procul ab imperii nostri finibus paratos stare, copias in eosdem duxi. Inopinati exercitus adspectu commoti Tanachitae, aliquandiu substiterunt: nostri vero vlterius progressi, quam primum ad teli iactum ventum esset, hastas ac iacula vibrarunt, ac ita pugnando, ingentem hostium stragem ediderunt. Animum tamen non despondebant hostes, sed ingenti impetu in pedites nostros ferebantur: at, cum latera eorum inuaderet nouus equitatus, desertis ordinibus, in fugam se coniiciebant, adeo, vt impetus hic totius praelii fortunam traxerit. Magna tunc hostium
287 |fit caedes, et Dux exercitus Tanachitici, vna cum viginti nobilibus tigribus, viuus capitur, Quamam in triumphum ducendus. Vix exprimi potest, quantam laetitiam insignis haec victoria per totum imperium excitauerit: nam in prioribus bellis vulgo succubuerant Quamitae, et non nisi iniquissimis conditionibus pacem emendicauerant. Iussit mox Imperator, captiuos, pro more, ad capitale supplicium abstrahi: ego vero

morem hunc detestatus, in custodia seruandos suasi, quieturos iudicans
Tanachitas, quibuscum pro tempore nec pax, nec bellum erat, donec
viderent, quid de captiuis statueretur: porro indicabam, opus mihi esse
induciis, vt alia, quae meditatus eram, exsecutioni darem.
Animaduerteram, nitri feracissimas has terras, ingentemque iam dudum
nitri vim coaceruaueram, ex quo puluerem pyrium conficerem. Nemini
tamen, nisi soli imperatori, consilium detexeram, cum illius auctoritate
mihi opus esset, ad officinas instituendas, in quibus tubi, aliaque id genus
tela cuderentur. Et sperabam, hisce instrumentis omnes imperii huius
hostes breui debellari posse. |Postquam aliquot centena sclopetorum, vna
288 cum glandibus confici curaueram, publicum commenti mei specimen
edidi summo cum omnium stupore. Certus mox militum numerus huic
militiae generi adscriptus, in sclopetis rite tractandis assidue exercetur.
Facto hoc experimento, et sclopetariis probe exercitatis, ab imperatore
proclamor *Iachal,*, siue totius exercitus Dux, cui dicto obedientes essent
omnes legionum, cohortium, ac turmarum Praefecti. Dum haec aguntur,
cum Duce Tanachitarum, *Tomopoloko*, cuius integritas in familiaris
amicitiae adduxit iura, crebra habui colloquia, exploraturus statum,
indolem, et mores istius gentis. Comperiebam non sine admiratione,
prudentem eum esse, bene moratum, ac in literis probe instructum:
audiebam, in terra Tanachitica literas et artes non perfunctorie coli:
indicabat porro, versus orientem populum esse bellicosissimum, propter
quem perpetuo excubias agere cogebantur Tanachitae. Incolae quidem
exiguae erant staturae, ac viribus corporum Tanachitis longe inferiores, at
iudicio pollebant, ac dexteritate iaculandi, eamque ob causam |saepe ad
289 pacem petendam compulerant Tanachitas. Didici mox, gentem istam
compositam esse e felibus, eandemque inter totius firmamenti incolas,
prudentia politica, ac vi iudicandi esse spectabilem. Ego sane non sine
aegritudine animi audiebam, sapientiam, literas, ac morum vrbanitatem
in cunctis subterranei huius orbis creaturis inueniri, solos vero homines,
nempe *Quamitas*, barbaros esse ac incultos. At sperabam, breui
cessaturum hoc opprobrium, ac Quamitas imperium istud, quod
hominibus natura in caetera animalia concessit, recuperaturos.

Post nouissimam stragem diu quieti manserant Tanachitae: at, cum per speculatores explorassent indolem, ac statum noui equitatus, quod scilicet Centauri isti, qui tantum nuper terrorem incusserant, nil aliud essent, quam domiti ac exercitati equi, animos obfirmant, nouasque

copias contrahunt, quas ipse Tanaquitarum Rex contra Quamitas ducit.
290 Totus exercitus constabat e vicies millenis tigribus, cunctis veteranis, exceptis duabus legionibus, quae nuper conductae erant. At, | subitarii hi milites nomina verius erant, quam auxilia. Hi omnes, spe victoriae inflati, Quamitico imperio ex integro infesta signa inferunt. Obuiam eunt nostri pedites duodecies mille, inter quos sexcenti erant sclopetarii, equites vero quater mille. Et cum de successu pugnae non dubitarem, ne debita victoriae gloria defraudaretur imperator, exorabam senem, vt ipse copiis praeesset. Ea modestiae simulatione nihil existimationi meae detractum est, cum totus exercitus me, tanquam verum ductorem, aspiceret. Consultum mox duxi, a primo impetu sclopetarios arcere, periculum facturus, ecquid absque iisdem, solo equitatu, victoria parari posset. At consilium istud impendio mihi stetit. Nam Tanachitae tanta ferocia pedites nostros aggressi sunt, vt fugam eosdem arripere cogerent. Impetum quoque equitatus dum fortiter sustinent, neutro diu inclinatur pugna, adeo, vt nunquam acrius sit pugnatum.

Iam pendebat adhuc belli fortuna, diuque
Inter vtrumque volat dubiis victoria pennis;

291 |cum sclopetarios in aciem eduxerim. Ad primum tormentorum ictum stupentes Tanachitae substiterunt. Nam, vnde fulgura ista ac tonitrua procederent, capere nequibant: at, cum funestum eorundem effectum cernerent, panico fere terrore correpti sunt. Prima hac salutatione ducentae sternuntur] *A,* sternentur *B* tigres, inter quas duae erant sacerdotes castrenses, quae, dum milites sermone paraenetico ad virtutem acuerent, glandibus sclopetorum perforatae occubuerunt. Casum earum acerbe tulerunt omnes, quoniam inter optimos et disertissimos concionatores numerabantur. Istum hostium terrorem cum animaduerterim, fulmina integrari iubeo. Secundam salutationem maior strages insecuta est: caedebantur tunc plures cum ipso rege. Hinc abiecta omni salutis spe, terga vertunt hostes: insequuntur equites nostri, tantaque fugientium fit caedes, vt prae multitudine cadauerum, quibus campi tegebantur, progredi vlterius nequirent. Finito certamine, cum numerum caesorum hostium inirent nostri, 13000 cadauera inuenta sunt militum, quos
292 praelium et fuga hauserant. Ita fusis |ac profligatis hostibus, regionem Tanachin victor exercitus intrans, post aliquot dierum iter ad metropolin castra posuit. Tantus tunc terror animos omnium occupauerat, vt,

quamuis oppidum situ, moenibus, ac munimentis validum esset ac instructum, reque cibaria copiosum, supplex tamen obuiam processit] *A B;* processerit *Elberling Kragelund* magistratus, claues vrbis victoribus offerens. Vrbem non minus amplitudo, quam platearum, ac aedificiorum nitor, commendabat. Et sane mirum erat, Quamitas, gentibus adeo excultis vndiquaque cinctos, in ista caligine tam diu desidere potuisse. At, idem illis accidisse credo, quod populis nonnullis, qui rerum exoticarum securi, domestica sola extollunt, ideoque ab aliorum commercio remoti, semper in eodem luto haerent, id quod exemplis gentium quarundam Europaearum facile euinci potest. Ab insigni hac clade nouam epocham statuunt Tanachitae: et, cum pugna haec decretoria secundum eorundem computationem habita fuerit, die tertio mensis *Torul*, diem hunc inter
293 atros numerant. Eodem anni tempore, mense] mense, *A B;* mense *Elberling Kragelund,* mense, *SS* scilicet Torul, ab hac firmamenti |regione, maxime remotus est planeta *Nazar*, cuius circa solem subterraneum cursus tempora ordinat, ac anni tempestates discriminat. Voluitur etiam circa solem totum firmamentum: at, cum motus planetae sit velocior, decrescere et augeri videtur Nazar, prout huic vel illi hemisphaerio propior est. Ex huius planetae diminutione et incremento, item ex eclipsibus solaribus, sumuntur astronomicae obseruationes. Calendaria Tanachitica semel per otium examinata, concinna atque optime digesta mihi sunt visa.

Expugnationem regiae vrbis totius regni deditio secuta est, adeo, vt contemptus iste, quo huc vsque notati fuerant Quamitae, in gloriam sit versus, et imperium Quamiticum, deuictae huius gentis accessione, duplo fere potentius euaserit. Igitur, cum felicitatem hanc, prudentiae ac industriae meae, acceptam omnes ferrent, veneratio, quam erga me iamdudum conceperant, in diuinum fere cultum abiit. Subiugata Tanachitica gente, et praesidiis, quibus populus ferox ac bellicosus in
294 officio contineretur, |passim vrbibus impositis, telam, quam exorsus eram, pertexere, ac barbariem, qua adhuc torpuerant Quamitae, penitus exstirpare conabar. Artium tamen liberalium studium mox introducere arduum erat: nam, quod ego ipse in Europa didiceram, nempe linguam latinam, et centones quosdam linguae graecae, nullius hic vsus esset] esse *A B;* esset *Elberling* . Hinc ab hostili terra, scilicet Tanachitica, duodecim literatissimas tigres, arcessere cogor. Professores hi primi constituti, iubentur Vniuersitatem fundare, ad exemplar Scholarum suae gentis.

Porro, bibliothecam regiam Tanachiticam, *Quamam* transferri iubeo. Statutum tamen animo erat, quam] vt, quam *A B;* quam *Elberling* primum in literis eum Quamitae fecissent progressum, vt proprio cortice natare possent, aduenas hos rursus dimittere.

Auidus eram regiam bibliothecam Tanachiticam inspiciendi, quoniam a captiuo Duce *Tomopoloko* didiceram, inter eiusdem bibliothecae codices manuscriptos asseruari] asseruari, *A B;* asseruari *Elberling,* asseruari, *SS* librum, compositum ab autore, qui in nostro orbe versatus fuerat, eiusdemque
295 varias regiones, in primis |Europaeas descripserat, istiusque operis compotes factos fuisse Tanachitas, dum in regione remota bellum gesserant: suppressum tamen esse nomen autoris, nec adhuc sciri, cuias esset, aut qui in loca superterranea esset delatus. Perspectis libris, verum esse, quod de hoc scripto mihi narrauerat Tomopoloko, comperiebam, ideoque candide illi genus meum et patriam detegebam, testatus, id ipsum Quamitis me initio aduentus mei indicasse, at narrationi nullam fidem habuisse stupidissimos homines, qui potius legatum me solis crediderant, ac in eo errore adhuc tenaciter persistere. Addidi porro, cum nefas ducerem, vanum adeo titulum diutius retinere, decreuisse me tandem, veram nascendi sortem omnibus aperire, qua ingenua confessione nil detrimenti existimationem meam passuram iudicabam, maxime cum sperarem, quod e libri huius lectione omnibus innotesceret, quantum caeteris mortalibus virtute ac prudentia, praestent Europaei. Displicuit consilium viro prudentissimo, mentemque suam his verbis
296 patefecit: “Necesse est, *inquit*, Serenissime Heros! vt prius in|spicias librum, cuius lectio te forsitan a consilio isto dimouebit; nam, aut mendax sit autor, aut stultis ac ineptis moribus sint superterranei, legesque ac instituta sectentur, risu potius quam veneratione digna; perlecto vero opere, quod lubitum erit, facias: moneo tantum, ne titulum temere abiicias, qui tantam venerationem animis Quamitarum impressit. Ad mortales enim in officio continendos, nihil est efficacius opinione ista, quam de natura ac splendidis natalibus concipit vulgus,

> *Quod stupet in titulis et imaginibus generosis.”*] generosis. *A B;* generosis.” *SS*

Consilium istud secutus, interprete Tomopoloko, librum perlegere decreui. Titulus operis est: ITINERARIVM TANIANI (quod nomen creditur fictum) SVPER TERRAM, siue DESCRIPTIO REGIONVM AC TERRARVM, MAXIME

VERO EVROPAEARVM. At, cum liber iste diutino situ squalidus, iniuriaque
297 temporis valde esset mutilatus, istud, cuius noscendi maximo ducebar studio, scilicet, qua via ad nos ascende|rit, et rursus, quomodo ad inferos redierit, desiderabatur.

Contenta huius operis haec sunt:

FRAGMENTA ITINERARII TANIANI SVPER TERRAM, EX INTERPRETATIONE TANACHITICI DVCIS, PERILLVSTRIS, STRENVI AC GENEROSI DOMINI TOMOPOLOKI.

✳ ✳ ✳ Regio haec (scil. Germania) dicitur imperium Romanum: sed solus est titulus, cum monarchia Romana aliquot abhinc saeculis plane sit exstincta. Lingua, qua vtuntur Germani, haud facile intelligitur, ob peruersum styli ordinem: nam quod prius in aliis linguis solet esse, hic ponitur posterius, adeo, vt nihil intelligas, antequam ad finem paginae perueneris. Forma regiminis est valde paradoxa. Credunt Germani, se Regem habere, et tamen nullum habent: dicitur Germania vnum imperium esse, et tamen in varios separatos principatus est discerpta, qui omnes sui iuris sunt, adeo, vt alter alteri saepe bellum legitimum inferat. Regnum dicitur semper augustum, quamuis |interdum valde diminuatur:
298 sanctum, absque vlla sanctitate: inuictum, licet vicinorum vexationibus saepe expositum. Nec minus stupenda sunt gentis iura ac priuilegia, cum multi iuribus gaudeant, quorum exercitium interdicitur. Infiniti editi sunt commentarii in statum imperii Germanici, at, in re adeo intricata commentatores nil adhuc profecerunt: nam ✳✳✳✳

✳ ✳ huius Regni (scil. Galliae) metropolis, quae amplissima est, et dicitur *Lutetia*, potest quodammodo totius Europae caput vocari; nam certam exercet iurisdictionem in caeteros Europae populos: ex. gr. ius habet iisdem regulas viuendi, ac vestium formas praescribendi, adeo, vt nullum vestimenti genus tam ridiculum sit ac incommodum, quin ad idem, modo Lutetiae incolis placuerit, omnes aliae gentes adstringantur. Quomodo vero, aut quando ius istud acquisiuerint Parisini, me latet. Dedici] *A B;* Didici *ed1754 Elberling Kragelund,* Dedici *(in* Didici *corrigendum censet SS app.) SS* tamen, ad alias res imperium istud non extendi; nam gentes aliae Europaeae saepe bella gerunt cum Gallis, iisdemque duras nonnunquam pacis conditiones
299 extorquent: at, seruitus ista circa |vestitus ac viuendi modos perennis est,

adeo vt, quicquid in ea re comminiscitur Lutetia, ad eiusdem obseruationem tota Europa sancte teneatur. Celeritate apprehensionis, nouitatis studio, ac ingenii fertilitate Martinianis admodum similes sunt *Parisini*.

✳ ✳ ✳ Relicta *Bononia*, *Romam* proficiscimur. Paret haec vrbs sacerdoti,
qui, quamuis regnum illius valde sit angustum, Regum tamen ac
principum Europaeorum potentissimus habetur. Nam, cum alii Principes
tantum in corpora subditorum, ac bona eorundem dominantur, hic et
animas perdere potest. Credunt vulgo Europaei, claues coelorum apud
hunc sacerdotem custodiri. Auidus eram tanti palladii videndi, at operam
perdidi; nam quamnam habeant formam, et in quo scrinio asseruentur,
adhuc quaero. Iura, quae exercet, non solum in proprios subditos, sed
etiam in totum genus humanum, haec praecipue sunt, vt, quos Deus
damnat, absoluere, quosue absoluit, damnare possit: enormis sane
300 autoritas! quam subterranei nostri in neminem mor|talem cadere posse
iurarent. At, facile est, Europaeis pro lubitu imponere, ac absurdissima
commenta iisdem obtrudere, quamuis se solos sapere credant, eaque
persuasione inflati, reliquos mortales, quorum mores barbari illis sunt,
cum supercilio intuentur] *A B;* intueantur *Elberling SS* . Ego sane mores,
consuetudines, ac instituta subterraneorum nostrorum tueri nolo.
Afferam tantum, mores et consuetudines nonnullas Europaeorum, e
quibus patebit, quam immerito aliarum gentium instituta vellicent.

Vsu passim in Europa receptum est, capillos, ac vestes frugibus terrae in
farinam tritis, quas in alimentum hominibus dat natura, aspergere. Farina
haec vulgo dicitur Puluis, (*Poudre*) quam magno labore ac cura, quauis
vespera euerriculo excutiunt, vt nouam farinae portionem ex integro
disseminent. Alia consuetudo, quae non minus ridicula mihi visa est haec
erat: Operculis siue pileis vtuntur, quibus capita aduersus vim frigoris
muniant, at ista capitum opercula vulgo sub brachiis, etiam tempore
hyberno, gestant, id quod aeque ridiculum mihi videbatur, |ac si quem
301 vidissem tunicam, vel femoralia, manu per vrbem portantem, corpore, cui
ista velamenta parauerat, iniuriae aëris exposito.

Sacra Europaeorum dogmata sana sunt, ac rectae rationi conuenientia.
Libri, quibus credenda ac facienda continentur, iubent diurna

nocturnaque manu eosdem versare, ac verum eorundem sensum scrutando elicere: suadent porro indulgentiam in errantes, ac infirmos: at, si quis rem aliter capit, quam maxima ciuium pars, carcere, flagellis, ac nonnunquam ignis supplicio, ob istam iudicii imbecillitatem, punitur. Hoc idem mihi videbatur, ac strabonem siue lippum fustibus caedere, ob id solum, quod obiecta, quae mihi quadrata, illi rotunda apparerent. Didici, hanc ob causam, aliquot hominum millia, iussu Magistratus, iugulata aut combusta.

In plerisque vrbibus ac vicis reperies homines, locis conspicuis stantes, ac peccata, quae ipsi quotidie exercent, in aliis seuere notantes, id quod idem esset, ac si ebrium vidissem in ebrietatem declamantem.

302 |Qui gibbosus, curuus, aut claudus hic nascitur, titulum optime formati (Wohlgebohrn] *A,* Wohlgebohren *B; Wohlgebohren Elberling, Wohlgeboren Kragelund*) ambit: qui sordidos habet natales, titulum nobili loco nati(Edelgebohrn] *A,* Edelgebohren *B; Edelgebohren Elberling Kragelund*) captat. Id quod non minus absurdum, ac si pumilio gigas, aut senex iuuenis vocari vellet.

In ciuitatibus maioribus passim consuetudo inualuit, vt post prandium ad compotationem iusculi nigri, e fabis combustis confecti, inuitentur amici. Iusculum hoc vulgo dicitur *Caffée*. Ad loca compotationis trahuntur a duabus robustissimis feris, inclusi pyxidi quatuor rotis impositae: nam parum honestum Europaeis existimatur pedibus incedere.

Primo anni die morbo, qui nobis subterraneis ignotus est, corripiuntur Europaei. Symptomata huius morbi sunt animorum mirae turbae ac procellae: nam nemo eodem die vno se loco diu continere potest. Currunt tunc quasi lymphati ab vna domo ad aliam, nescii ipsi, quem in finem. Morbus hic nonnullos quatuordecim integros dies tenet. Tandem vero
303 continuo cursu fatigati et exhau|sti, ad se redeunt, et pristinae sanitati restituuntur.

Cum innumeri sint animi morbi, quibus Europaei vexantur, innumera quoque reperta sunt medicamina. Nonnullos inuadit dirus ardor, ita per vrbem ambulandi, vt sinistra eorum latera dextris aliorum lateribus

obuertantur. Quo propius septentrionem accedas, eo maiorem huius morbi vim reperies: vnde patet, ex aëris intemperie nasci istud malum. Tollitur morbus chartis signatis, quibus characteres nonnulli imprimuntur. Chartas has, dum] *A B;* has dum *Elberling Kragelund* tanquam talismannos gestant aegri, sensim resipiscunt. Alia rabies depelli solet sonitu tintinabulorum] *A B;* tintinnabulorum *Elberling SS Kragelund* , siue campanarum. Ad harum strepitum turbae animorum sistuntur, ac aestus animorum deferuet] *A B;* deferuet *SS* . At medicina haec exiguae durationis est: nam post duas horas redit ac ingrauescit malum.

In Italia, Gallia et Hispania, tempore hyemali, infrenis passim furor aliquot septimanas grassatur. Furor hic sistitur cineris aspersione in
304 aegrotorum frontes. In septentrionali tamen Europae parte, ci|neris huius nulla virtus: solo igitur naturae beneficio curantur boreales.

Plerique Europaei, ter vel quater quouis anno, testibus adhibitis, ineunt cum Deo pactum solenne, mox rumpendum, quod vocant *Communionem*, adeo, vt videantur eum solum in finem pacisci, vt monstrent, statutum sibi esse, ter vel quater quotannis pacta violare.

Cum crimina confitentur, et misericordiam Dei implorant, certa verborum caesura, ac modis musicis] musicis, *A B;* musicis *Elberling,* musicis, *SS* id vulgo fieri solet: adhibentur nonnunquam tibiae, tubae, ac tympana, pro magnitudine criminis, cuius poenam modulando deprecantur.

Cunctis fere Europae gentibus doctrinam iniunctum est confiteri, quam complectitur sacer quidam Liber. At, lectio istius] *B,* istus *A* libri in regionibus meridionalibus penitus interdicitur, adeo, vt ad credenda homines obstringantur, quae legere ac inspicere sine crimine nequeunt.

In iisdem regionibus prohibitum est, Deum colere ac adorare, nisi ignota
305 dia|lecto, adeo, vt solae illae preces legitimae, ac Deo gratae censeantur, quae fiunt ab illis, qui nesciunt, quid dicant.

In magnis passim ciuitatibus paralytici fiunt omnes, qui ad honores ac dignitates ascendunt, adeo, vt tanquam clinici, lecticis, ad pyxidum

figuras aedificatis, per plateas gestentur.

Plerique Europaei capillos nouacula abradunt, et crinibus peregrinis ac adscititiis caluitiem tegunt.

Controuersiae, quae in Gymnasiis Europaeis vulgo discutiuntur, de rebus sunt, quarum naturam indagare nec interest hominum, nec capit humanae coniectura mentis. Doctissimae vero materiae, in quas commentantur Europaei, sunt de veterum et emortuarum quarundam gentium crepidis, calceis, monilibus, ocreis aut togis. Porro de scientiis, tam sacris, quam profanis, non iudicant plerique, sed iudiciis aliorum subscribunt. Ad quamcunque enim sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, quasi ad saxum, adhaerescunt. Nam quod dicant, omnia se
306 credere ei, |quem iudicent fuisse sapientem, probarem, si id rudes ac indocti iudicare potuissent: statuere enim, qui sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis.

In regionibus meridionalibus, per vrbes ac vicos portantur collyrides siue placentae, quas sacerdotes dicunt Deos esse: et quod maxime mireris, ipsi etiam pistores, qui farinam monstrant, e qua confectae sunt, collyrides easdem mundum creasse iurant.

Angli libertatis amantissimi sunt, solis vxoribus seruientes. Iidem religionem, quam heri profitebantur, hodie reiiciunt: et quam heri tota gens reiecit, hodie tota amplectitur. Fluctuationem hanc deriuabam e situ regionis, quod Angli insulani, ac maritimi sint, multumque ex indole fluxi et inconstantis elementi hauserint.

Quaerunt solicite Angli de salute ac sanitate hominum sibi occurrentium, adeo, vt Medicos omnes crederem. At, quaestio ista] *A,* iste *B* : *How do you do*, siue, quomodo vales? vana tantum est locutio, et sonus nullius significationis.

307 |In eadem insula mentem ac ingenii vires tanta cura limant et expoliunt, vt denique perdant.

Versus septentrionem respublica est e septem prouinciis composita. Prouinciae hae vnitae dicuntur, quamuis nullum vnitatis aut concordiae vestigium appareat. Iactat hic potentiam suam plebs, quod penes se tota reipublicae potestas sit, cum tamen plebei nusquam a publicis negotiis magis excludantur, et summa rerum in paucis familiis resideat.

Incolae harum prouinciarum auide ac solicite corradunt opes, quibus tamen non vtuntur, adeo, vt plenae illis sint crumenae, sed vacui ventres: nam viuere videntur e solo fumo, quem per fistulas, siue tubos argillaceos, absorbent.

Dandum est huic genti, quod omnium mortalium sit nitidissima: omnia enim solicite lauat, praeter manus.

In ciuitatibus ac vicis Europaeis sunt nocturni vigiles, qui, dum dormientibus quietem cantando, vel potius rudendo optant, desomnes quauis hora faciunt.

308 |Quaeuis regio suas habet leges, suas quoque habet consuetudines, legibus saepe e diametro oppositas: ita ex. gr. secundum leges vxor marito est subiecta, secundum vsum vero in virum dominatur.

Maxime inter Europaeos aestimantur ii, qui sumptuosissime viuunt, et fruges terrae deglutiunt: soli terrae cultores, et qui heluones hosce nutriunt, spernuntur.

Quot, et quantae sint Europaeorum prauae inclinationes, patet ex crucibus, patibulis, et carnificinis, quae passim visuntur. Quaeuis ciuitas suum habet carnificem. Excipitur] *B,* Exicipitur *A* tamen Anglia, vbi nullos dari credo carnifices, cum incolae se ipsos suspendant.

Antropophagos suspicor Europaeos; nam ingentem robustissimorum hominum multitudinem in claustra quaedam, quae monasteria dicuntur, compingunt, idque eum solum in finem, vt nitidi fiant, ac pinguescant: nam dum in istis asseruantur viridariis, ab omni labore exempti, soli fere gulae obsequi iubentur.

309 |Aquam mane bibere solent Europaei, vt aestum stomachi temperent: at, vix isto aquae beneficio deferbuit venter, cum vinum adustum hauriant, vt referuescat.

Religio Europaea in duas sectas diuiditur, alia est Protestantium, alia Romanorum: illi vnum solum Deum, hi plures adorant, cum, quot vrbes ac vici sunt, tot Dii Deaeque simul visuntur. Cunctos hos Deos Deasque creauit summus Romae Pontifex: hunc vero creant Presbyteri, vulgo dicti Cardinales. Patet inde, quanta sint Cardinalium iura, cum Deorum formatores forment.

Itali antiqui totum olim orbem subegerunt, vxoribus subditi: hodierni vero in vxores saeuientes, cunctis populis foede seruiunt.

Distinguuntur animalia Europaea in terrestria et aquatica. Dantur etiam amphibia, vt Ranae, Delphini et Bataui; nam in paludibus hi habitant:

– – *Terras atque aequora miscent.*] miscent *A B*

Eadem Europaeis sunt alimenta, quae nobis. Hispani vero sola aura vescuntur.

310 |Passim in Europa floret mercatura, et multa ibi sunt venalia, quae hic in commercium non veniunt: ita Romani vendunt coelum; Heluetii se ipsos; in ✳✳✳✳ coronae, sceptra, et regia dignitas sub hasta venduntur.

In Hispania honesti hominis nota est desidia, et nihil est, quod nobilitatem magis commendat, quam somnus.

Fideles ac vere credentes dicuntur ii, qui nesciunt, quid credant, quique ea, quae audiunt, ad examen vocare operae pretium non ducunt. Sunt etiam, qui ob solam segnitiem, incuriam, ac neglectum examinis, in numerum sanctorum referuntur: aeternum vero damnati dicuntur ii, qui de salute soliciti, cautius et curatius omnia examinando, a regnante quadam opinione discedunt.

Porro, non ex operibus, et virtutum pietatisque exercitio, aut neglectu, sed e solo natiuitatis loco futuram salutem aut damnationem aeternam fluere, vulgo existimant Europaei. Fatentur enim omnes, si in alio loco, et ex aliis
311 parentibus geniti |fuissent, se alia sacra secuturos. Hinc non tam ob ipsam religionem, quam ob locum, ac nascendi sortem, damnare mihi sunt visi. At, opinionem hanc] hanc, *A B;* hanc *Elberling,* hanc, *SS* cum iustitia et bonitate] *B,* bonitare *A* diuina conciliare nequeo.

Inter literarum cultores maxime aestimantur ii, qui naturalem vocum ordinem ita inuertunt, vt id, quod in se planum et perspicuum erat, obscurum ac inuolutum reddatur. Dicuntur hi poëtae, et vocum ista delocatio Poësis. At, in sola styli peruersitate non consistit virtus poëtae, requiritur, vt summe simul mendax sit. Hinc diuino fere honore colitur antiquus Poëta Homerus, cum in vtraque arte excelluerit. Hunc in phrasibus euertendis, ac in veritate peruertenda multi imitantur, nemo vero assecutus est.

Librorum auidi emptores sunt literati Europaei, at, libros non tam ob materiam, quam ob formam, ac nitorem emunt. Hinc, cum animaduerterint bibliopolae, meris crepundiis, ac, quae oculos magis quam animum pascunt, duci doctos emptores, libros alia forma, aliis
312 typis, characteribus, et effigiebus recudunt, ac cen|tuplo carius vendunt: artes enim liberales hic in commercium veniunt, et inter mercatores maxime subdolos numerantur philosophi, ac librorum autores. Stulti potissimum libros scribunt, ac si verentur, vt stultitiae fama ad posteros propagetur.

Academiae Europaeae sunt bonarum artium, ac honorum mercaturae, siue tabernae, vbi aequo ac modico pretio prostant gradus, promotiones, dignitates, eruditionis multiiugae tituli, ac aliae doctae merces, quae non sine sudore, ac multorum annorum diurnis nocturnisque studiis, in orbe nostro subterraneo comparantur. Doctores dicuntur ii, qui summum eruditionis culmen attigerunt, aut, vt aiunt Europaei, in apicem montis cuiusdam Parnassi, quem nouem Virgines incolunt, sunt enixi. His proximi sunt Magistri, qui sumptu paulo minori titulos eruditionis acquirunt, ac proinde minus docti cluent. Patet hinc, quanta a scholis superterraneis in genus hominum exerceatur benignitas, cum planum

adeo ac facile ad doctrinam pandant iter. Paulo morosiores in eo sunt
313. |scholae septentrionales, cum non absque praeuio examine summos largiantur honores.

Docti ab indoctis, moribus et cultu, maxime vero religione distinguuntur: quippe hi vnum solum Deum, illi vero plures Deos Deasque colunt. Praecipua Doctorum Numina sunt Apollo, Minerua, nouem Musae, aliique minorum gentium Dii, quos scriptores, maxime vero Poëtae, cum furere gestiunt, inuocare solent. Ipsi literati, pro varietate studiorum, in varias classes describuntur: sunt vel Philosophi, Poëtae, Grammatici, Physici, vel Metaphysici, etc.

Philosophus est Mercator literarius, qui certo pretio, praecepta de sui abnegatione, temperantia, ac paupertate venalia offert, et contra diuitias tam diu declamat, ac scribit, donec ipse ditescat. Pater Philosophorum est Seneca quidam, qui ita agendo regias cumulauit opes.

Poëta est, quem nugae ac furor commendabilem reddunt. Hinc furor
314. praedicatum est, quod optimae notae vatibus |dari solet. Omnes enim, qui simpliciter et perspicue mentem exprimunt, laureis coronis indigni iudicantur.

Grammatici componunt certum genus militiae, pacem publicam turbans. Differunt ab aliis bellatoribus in eo, quod pro chlamyde togis, pro gladio stylo vtantur. Aeque pertinaciter hi pro literis ac syllabis, ac alii pro libertate, pro aris, ac focis dimicant. Credo, ab imperantibus eum solum in finem ali, ne tempore pacis nimia tranquillitate genus humanum torpeat. Nonnunquam tamen, cum bella ista internecionem minantur, autoritatem suam interponit senatus, vti non ita pridem Parisiis factum audiui, vbi, ingrauescente de literis Q et K enata inter Doctores controuersia, vsum vtriusque literae indulsit grauissimus senatus Parisiensis.

Physicus est, qui viscera terrae, naturam bipedum, quadrupedum, reptilium, ac insectorum scrutatur, quique omnia nouit praeter se ipsum.

Metaphysicus est, cui soli ea patent, quae alios latent, quique essentiam
315. spiri|tuum, animarum, entia, non entia nouit, describit, definit: at, qui prae nimia oculorum acie, quae ante pedes posita sunt, non cernit.

Talis in Europa est reipublicae literariae status. Possem plura afferre: sed sufficit praecipua delibasse. Vnde facile iudicet Lector, iurene] *A,* iure ne *B* an iniuria se solos sapere credant Europaei.

Istud tamen donandum est Doctoribus ac Magistris Europaeis, quod in iuuentute instruenda subterraneis nostris sint longe dexteriores, quippe dantur artium ac linguarum Magistri, qui non modo ea, quae ipsi didicerunt, sed etiam, quae penitus ignorant, alios docent. Magnae res molis est, ea dextre tradere praecepta, quae ipsi nouimus, maioris vero docere, quae ipsi ignoramus.

Sunt inter literatos Europaeos, qui Theologiam ac Philosophiam pari ardore colunt. Iidem, qua philosophi, de omnibus dubitant, qua vero theologi, nihil negare sustinent.

316 |Pari cum subterraneis nostris studio in literas feruntur Europaei: sed longe celerius docti euadunt, idque ob insigne ac magicum aliquod commentum, (a) quo efficitur, vt centena librorum volumina vno die perlegere valeant.

Religiosi admodum sunt superterranei, et in votis precationibusque assidui: tempora vero precationum non motibus cordis, sed sonitui campanarum, horologiis, ac solariis fere accommodant, adeo, vt deuotio eorum plane mechanica sit, vtpote e signis potius externis, consuetudine, et statis dierum horis, quam e cordis penetralibus fluens.

Quanta eorundem in precando sit assiduitas, inde patet, quod plerique lignum caedendo] *A,* acedendo *B* , vasa tergendo, ac alias operas manuarias exercendo, hymnos sacros effundant.

In Italiam delatus, tanquam totius regionis Dominum me intuebar: nam quiuis obuius se mancipium meum (*Schiauo*) testabatur: at, periculum

facturus obedien

(a) Ephemerid.

317 |tiae istius seruilis, quam prae se ferebant, nocte quadam hospitis vxorem mihi afferri iubeo. At, excandescens ille, sarcinas me colligere iussit, morasque nectentem, foras eiecit.

In regionibus Borealibus rerum, quas non possident, titulos auide captant incolae, dextreque incedendi studio omnes fere insaniunt. Porro ✳✳✳

Hactenus patiens auditor fui: tunc vero indignatione accensus, lectorem interpello, indicans, figmenta esse iniqui et atra bile] *A,* atrabile *B* perciti scriptoris. At, deferuescente primo impetu, paulo clementius iudicium de itinerario hoc ferre coepi, cum autorem, quantumuis in plerisque mendacem et iniquum, non semper a vero deflexisse, sed quaedam acu tetigisse, cernerem. Caetera secutus sum consilium *Tomopoloki*, errores Quamitarum] Quamitarum, *A B;* Quamitarum *Elberling,* Quamitarum, *SS Kragelund* de natalibus meis solicite fouendo, cum rebus meis conducibilius iudicarem, Legatum solis extraordinarium, quam ciuem Europaeum, salutari.

318 Postquam vicini omnes diu quieti se |tenuerant, et beneficio exoptatae pacis rempublicam ex voto ordinaueram, nuntiatur tandem, tres potentissimas gentes arma in Quamitas sociasse. Populi hi erant *Arctonii, Kispuciani* ac *Alectoriani*. Gens *Arctonia* ex vrsis, loquela ac ratione praeditis, composita, aspera admodum, ac bellicosa cluebat. *Kispuciani* mirae magnitudinis feles, ob sagacitatem, et vim iudicandi, magni inter subterraneos nominis erant: hinc non tam viribus corporis, quam arte, et bellicis commentis, hostes potentissimos in officio continebant. *Alectoriani*, cum non minus in aëre, quam in terra, bella gererent, hostibus sat negotii facessebant. Hi Galli gallinacei erant, armati arcubus, ac spiculis veneno] spiculisveneno *A* tinctis, quae mira dexteritate vibrantes, letalia vulnera infligebant.

Haec gentium triga Quamitarum insolito successu, et Tanachitici belli contagione irritatae, inito foedere, gliscentem Quamitarum potentiam, antequam latius serperet, sociis viribus reprimere decreuerunt. Sed antequam ad belli declarationem procedebant, legatos *Quamam*

319 mi|serunt, libertatem Tanachiticam vindicaturos, bellumque solenne imperatori, si postulatis non annueret, denuntiaturos. Exsequuntur illi

mandata, meoque consilio tale responsum tulerunt: Tanachitas, pacis ac foederum violatores, propriae stultitiae ac superbiae acceptum ferre debere, quod in istam calamitatem inciderint: decreuisse imperatorem, totis viribus eam, quam iure belli nactus est, possessionem, contra quemuis aggressorem, constanter tueri, minas denique foederatarum gentium non metuere. Hoc dato responso, dimittuntur feciales, ac nos ad belli ingruentis curam animum vertimus. Breui temporis spatio exercitum 40000 militum, in quibus octies mille equites, ac bis mille sclopetarii numerabantur, coëgi. Ipse imperator, quamuis senio esset confectus, expeditioni tamen huic interesse decreuit, tantaque gloriae cupidine inflammatus erat, vt neque a me ipso, neque a coniuge ac liberis, qui iunctis viribus pertinaciam hanc expugnare conabamur, a consilio
320 dimoueri posset. Quod in isto rerum statu maxime me anxium habuit, erat dubia ac suspecta Tana|chitarum fides, et verebar, ne nouae seruitutis impatientes, iugum data occasione excuterent, ac hostium partibus accederent. Nec falsus opinione fui: quippe paulo post belli solennem indictionem nuntiatum nobis fuit, 12000 Tanachitas, arreptis armis, in castra hostium transgressos. Hinc cum quatuor potentissimis inimicis rem simul nobis fore videbam.

Exercitus noster rebus necessariis instructus, initio mensis *Kilian*, hosti obuiam ire iubetur, occupaturus bellum facere. Iter facienti nuntiant speculatores, Tanachitarum regionem iam ingressas foederatas copias, arcem *Sibol*, in confinio Kispucianorum positam obsidione cingere. Oppugnata fuit arx tanta vi ac impetu, vt deditionem iam moliretur Praefectus. At, cum de aduentu nostro certiores fierent hostes, soluta obsidione, signa nobis inferunt. Pugna habita est in planitie haud procul ab obsesso munimento, vnde dicta fuit praelium Sibolense. *Arctonii*, qui in sinistra ala stabant, in equites nostros irruentes, ingentem eorum
321 stragem ediderunt, et, cum impetum hunc adiu|uarent rebelles Tanachitae, actum fere de nobis videbatur. At, cum laborantibus nostris adessent sclopetarii, ac binis salutationibus ordines hostium disturbarent, mutata mox fuit certaminis facies: adeo vt, qui nuper victores equitatum nostrum grauiter premebant, iam pressi ipsi, pedem retrahere, ac denique terga vertere coeperint. Dum haec aguntur, acriter pedites nostros vrgebant Kispuciani. Iidem tanta arte, ac successu spicula torquebant, vt breui temporis spatio sexcenti Quamitae aut grauiter vulnerati fuerint, aut lethali ictu transfixi] rranfisxi *A (correctum in A, p. 380:* p. 321. lin. 14. lege: transfixi.*),*

tranfisxi *B;* transfixi *Elberling* occubuerint. At, accurrente simul cum sclopetariis equitatu, fugam arripere cogebantur, ita tamen, vt, seruatis ordinibus, potius viderentur cedere, quam fugere, id] *B,* idt *A (in fine lineae. Cf. notam sequentem ad verbum* fuit.*)* quod prudentiae ac peritiae debitum fuit] *B,* fui- *A (in fine lineae. Cf. notam antecedentem ad verbum* id*)* Ducis Kispuciani, *Monsonii*, qui in bellicis artibus, ea tempestate, cunctis subterraneis ducibus dubiam facile palmam facere credebatur. Supererant iam *Alectoriani*, quibus victoriam extorquere difficile erat: nam, quoties sclopeta in eosdem dirigebant
322 nostri, alarum verberibus in altum ferebantur, indeque sagittas in vertices no|stros tanta dexteritate contorquebant, vt paucae inanes in terram caderent. Certos hi semper dirigebant ictus, cum procliuior faciliorque iactus sit ex supernis in infima, quam ex infimis in superna: nostri vero ob hostium volatum, ac perpetuam mobilitatem, a scopo saepius aberrabant. In ipso certaminis aestu, dum imperator tela strenue vibrat, ante signa procedit, ac media in pugnae mole versatur, collum eius spiculo venenato transfigitur: hinc equo delapsus, e pugna aufertur, et in tentorium deducitur, vbi paulo post exspirabat. In isto tam lubrico statu consultum duxi, omnibus, qui funestum hunc casum viderant, silentium indicere, ne pugnantium ardor morte Imperatoris remitteretur. Iubeo igitur bono animo esse, sopitum fuisse Regem subito ictu: ferrum haud alte in corpus descendisse, inspectum vulnus, absterso cruore, omnia salubria esse, confidere, propediem ipsum eos visuros. Ita ignorantibus plerisque, quid Imperatori accidisset, pugna protrahitur vsque ad noctem: at, cum
323 Alectoriani, labore ac vulneribus exhausti, in castra sua se receperint, inducias aliquot | dierum, quot opus esset ad corpora caesorum humo mandanda, cum hostibus paciscor. Interea temporis, cum animaduertissem, nouo opus esse commento ad debellandos Alectorianos, globulos sclopetorum in grandines refundi curabam. Commentum istud tantum habuit successum, vt Alectoriani, insequenti praelio, muscarum instar ex aëre praecipites caderent, et dimidia exercitus pars misere periret. Hinc superstites arma abiicientes pacem suppliciter petierunt. Exemplum eorum secuti *Arctonii* et *Kispuciani*, se ipsos cum armis ac vrbibus munitis nostrae fidei permisere.

His rebus feliciter peractis,

- Concilium magnum, primosque virorum
Imperio accitos, alta intra limina cogo:
Olli conuenere, fluunt ad regia plenis

Tecta viis; postquam sunt facta silentia linguis,
Farier incipio: – – –

"Non dubito, Viri Perillustres, Nobilissimi, ac Fortissimi, quin vestrum
324 plerisque notum sit, quam anxie ac solicite Augu|stissimo nostro Imperatori hanc expeditionem dissuaserim. At insita illi fortitudo, ac imperterritus animus domi desidem, dum nos pectora hostibus opponeremus, manere non permiserunt. Testari possum, solam hanc esse petitionem, in qua ab imperatoria Maiestate repulsam tuli. Vtinam Augustissimus Imperator in concedendis aliis rebus difficilior, in hac vero sola indulgentior fuisset! ita in calamitatem istam, quam inopina eius mors nobis peperit, non incidissemus, sed reditus noster in vrbem imperatoriam vere triumphans, ac gaudia nostra, ob tot praeclaras res gestas plena, ac nullo dolore turbata fuissent.] *B,* fuissent., *A* Non possum, nec decet diutius celare funestum illum casum, quo tantum nobis vulnus inflictum est. Scitote igitur, fortiter dimicantem Imperatorem ictu sagittae in praelio confixum, paulo post animam reddidisse. Quot non luctus, quot non curarum aestus excitabit tanti Principis amissio? Ex meo dolore satis coniicere possum, qualis iam sit animus vester. At, animum hinc non
325 despondete: nam mors non est, qua tanti he|rois mortalitas magis finita est, quam vita; non vobis exstinctus est Imperator, qui duos reliquit Principes adultos, ad exemplar optimi Parentis expressos, ac non minus virtutis paternae, quam regnorum haeredes. Igitur non tam Regem, quam nomen regis mutabitis. Et cum primogenitus Princeps Timuso iure nascendi ad sceptra paterna sit admouendus, sub illius auspiciis iam exercitui impero. Ille est, in cuius verba iurabimus, cui fidem et obedientiam iam praestabimus omnes."

326 |

CAPVT XIV.
KLIMIVS MONARCHA SVBTERRANEVS.

Finita oratione, altum exclamarunt omnes: *Imperatorem volumus Pikilsu!* Quo audito, attonitus ego, et in lacrimas effusus, ardenter omnes orabam, vt memores essent fidei, regiae domui debitae, et beneficiorum, quibus, qua singulos, qua vniuersos, sibi deuinxerat defunctus Imperator, quorum obliuio existimationi eorum notam inureret nunquam delendam. Addebam denique: si quis vsus mei, nihilo minor ex priuato capietur. At verbis nihil proficio.

> *Namque incensa meis Procerum sententia dictis,*
> *Iam magis atque magis, serpitque per agmina murmur.*

Plebis accessione augetur clamor Ducum, adeo, vt verbis his identidem
327 repetitis, tota personarent castra. In Praetorium hinc | obuoluto capite me recepi, custodibus imperans, vt nemini aditum permitterent: quippe sperabam, ad saniorem mentem redituros milites, cum aestus primi impetus exsaeuiret. At Duces, vna cum gregario milite in tentorium vi irrumpentes, imperatoriis insignibus frustra obnitentem ornabant, eductumque praetorio, tubarum ac tympanorum sonitu Imperatorem me proclamabant *Quamae*, Regem *Tanaqui, Arctoniae, Alectoriae*, et Magnum Ducem *Kispucianorum*. Hinc, cum viderem, aliter fieri non posse, fortunae diutius non obluctatus, torrentem sequor, et fateor, non prorsus inuitum me ad hoc fastigium euectum: nam imperium cum tribus Regnis, ac magno Ducatu res sunt, quae vnicuique saliuam mouere queant. Legatos quidem ad Principem statim misi, qui rerum actarum eum certiorem facerent, simulque monerent, vt iura, per natales quaesita, fortiter tueretur, factamque hanc nouam electionem, vtpote legibus aduersantem, irritam pronuntiaret. At, animo simul statutum erat, Imperium, quod mihi sponte oblatum erat, non temere deserere: adeo, vt
328 legatio haec fa|cta sit eum potius in finem, vt mentem Principis explorarem. Princeps, vt erat egregiae indolis, et acerrimi iudicii iuuenis, satis gnarus, quot latebras, et quot altos recessus vita hominum habeat, fucatam hanc modestiam coniiciens, necessitati prudenter cessit, exemplum exercitus secutus, in regia vrbe me quoque Imperatorem proclamauit. Eo mox Ducibus exercitus stipatus, in triumphum, acclamante toto populo, ducor, ac, interiectis aliquot diebus, diadema capiti more solenni imponitur. Ita e misero naufrago in Monarcham transformatus, vt Quamitas, quos veteris prosapiae regiae amore ac veneratione duci animaduerteram, mihi deuincirem, ac non publicis

magis quam priuatis consiliis opes munirem, defuncti Imperatoris filiam in matrimonium adsciui: dicebatur haec *Ralac*, et erat

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Tot tantisque rebus perfunctus, nouas meditabar artes, quibus imperium hoc ad eminens, et toti orbi subterraneo timendum fastigium,
329 perducerem. In eo mox |totus eram, vt deuictas nuper gentes in fide ac officio continerem, quem in finem arcibus passim munitis] *B,* munitis, *A;* munitis, *SS* valida imposui praesidia, deuictos humaniter habui, ac nonnullos eorum ad splendida munera in ipsa regia vrbe euexi. Tanto in primis fauore prosecutus sum Duces captiuos *Tomopolokum* ac *Monsonium*, vt apud Quamitarum nonnullos haec beneuolentia inuidiam mouerit, quamuis indignationem pro tempore suppresserint; diu enim latuit scintilla sub cinere, donec tandem, vt mox dicetur, in incendium eruperit. Quod ad domestica attinet, liberalia studia, ac artes bellicas ad summum fastigium perducere conabar. Et cum regio haec densissimis obsita esset syluis, quae ligna affatim suggerebant, ad classem condendam, et bellicas naues, more Europaeo struendas, mentem tanto feruore adieci, vt, quamuis onerum mole distractissimus, huic tamen vni negotio animus vacare videretur. In isto apparatu vsus sum praecipue opera Kispucianorum, cum in rebus maritimis non perfunctorie essent versati, Ducemque *Monsonium* summum Classis Praefectum constitui.

330 |Caeduntur mox syluae, instrumenta fabrilia cuduntur, tantoque studio insisto operi, vt sexagesimum intra diem, quam caesa materia fuerat, classis viginti nauium in ancoris staret. Cunctis his ex voto confectis, egomet me ipsum, tanquam alterum Alexandrum subterraneum intuebar, qui easdem hic turbas mouerem, quas olim ille in nostro orbe mouerat. Dominandi vesana libido se ipsam in infinitum propellit, nec reperit locum consistendi. Aliquot abhinc annis Diaconi, Scribae aut Clerici, tenue munus, summa votorum meorum fuerat, nec ad maiora adspirabam: iam quatuor vel quinque regna nimis mihi angusta sunt visa: adeo, vt respectu cupidinis, quae cum opibus et potentia augebatur, nunquam magis pauper ac indigus fuissem.

Cum a nautis Kispucianis statum ac indolem tam marium, quam circumiacentium terrarum edoctus fuissem, ac comperissem, octidui prospera nauigatione ad litora imperii *Mezendorici* perueniri posse, vnde per nota mihi et nuper eremigata maria in *Martiniam* facilis foret

331

traiectus, iter accele|rari iubeo. Et erat Martinia scopus praecipuus, in quem collineabam. Stimulabant animum tam immensae gentis opes ac diuitiae, quam artes ac rei nauticae studia, in quibus eminebant Martiniani; cum res tantas molienti opus esset magistris. Erat et alius stimulus, nempe vindictae cupido, quae ad subiugandam hanc gentem acuebat. E binis Principibus regiis, natu maiorem huius expeditionis socium mihi adsumsi, fingens, fertilissimum Celsitudini suae fore campum, vbi fortitudinem ac virtutes exerceret] *B,* exereret *A* . At, verus scopus erat, vt in eo obsidem haberem et pignus fidei Quamitarum. Remansit quidem iunior Princeps, sed cura imperii, me absente, commissa fuit imperatrici, iam vterum ferenti. Tota classis bellica e viginti nauibus, tam maioribus, quam minoribus constabat, et structae erant omnes ad formam nauium Martinianarum, ex consilio et directione Ducis Kispuciani, *Monsonii*, cui concessum erat omne rei nauticae arbitrium, quique icones earundem propria manu expresserat. Tales enim inter
332 subterraneos erant Martiniani, quales Tyri ac Sidonii, aut nostro tempore Angli |ac Bataui, imperium marium sibi vindicantes. At, cum in Martiniam ventum est, videbam, quantum in formandis his nauibus ab archetypo aberrauerimus.

Vela dedimus ea anni tempestate, vbi planeta *Nazar* mediae magnitudinis est. Postquam maria triduum sulcaueramus, ingentem conspicamur insulam, cuius incolis, ob discordiam, qua in factiones scissi erant, facile erat iugum imponere: et, cum destituti essent armis, eorundemque vsum ignorarent, solis conuiciis ac maledictionibus certabant. Eo omnis poena, omnis ira belli vertit. Legum violatores in carcerem trahuntur, vnde post criminis discussionem in forum pertrahi solent, conuiciis ac maledictis exponendi. Certi huic muneri destinati sunt ministri, qui dicti sunt *Sabuti*, siue conuiciatores, seu maledicentes, iidemque sunt, qui carnifices apud nos aut lictores. Quod ad formam corporis attinet, in eo tantum ab hominibus distant, quod mulieres barbatae, viri vero sint imberbes: praeterea pedum vestigia habent retro
333 porrecta, non, vt caeterorum hominum, prospectantia. Post|quam exscensionem in hanc terram feceramus, trecentos circiter *Canaliscas* (ita vocantur insulani) obuios habuimus. Hi hostiliter nos adorti, solitis telis vtebantur, maledictiones ac dicteria euomendo. Tanta acerbitate (prout audiuimus ab Alectoriano quodam linguae Canaliskae gnaro) concepta erant dicteria, quae eiaculabantur, vt monstrarent, in isto pugnandi

genere magisterium se adeptos, et orbis nostri Grammaticis non cedere. At ego satis gnarus,

- - vanam sine viribus iram,

genti inermi vim inferre prohibui, tantum, vt terrorem quendam incuterem, tormentum explodi iubebam, quo effectum est, vt in genua procumbentes, misericordiam implorarent. Aderant mox supplices praecipui insulae Reguli, qui se ipsos cum subditis dedentes, totam insulam mihi vectigalem faciebant, praefati, non esse turpe ab eo vinci, quem vincere esset nefas, neque ei inhoneste aliquem submitti, quem fortuna super omnes extulisset. Ita insula hac, cuius accessione aucta
334. quidem fuit potentia mea, sed nil |quicquam gloriae, ob mollitiem incolarum, adstructum fuit, stipendiaria facta, ancoras soluimus, ac tandem, post aliquot dierum felicem nauigationem, ad litora *Mezendorica* deferimur. In consilium tunc Duces adhibui, perquisiturus, quid factu esset optimum, vtrum consultius foret hostiliter statim agere, an vero, missis legatis, mentem Imperatoris explorare, pacem ac deditionem mallet, an bellum? Plerisque tutius ac honestius visum, vt legati mitterentur: quocirca legationem hanc suscipere iussi sunt quinque viri, scil. Quamita, Arctonius, Alectorianus, Tanachita et Kispucianus. Hos in regiam vrbem intromissos, nomine Imperatoris, interrogat Praefectus vrbis:

Quid petitis? quae causa rates aut cuius egentes
Ad Mezendores tot per vada coerula vexit?

Huic respondent legati:

– – – Nec fluctibus actos,
Atra subegit hyems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae, litusque fefellit:
335. *|Consilio hanc omnes animisque volentibus vrbem*
Afferimur – – –

Et mox literas Imperatori offerunt, huius tenoris:

“Nicolaus Klimius, solis Legatus, Imperator Quamae, Rex Tanachi, Arctoniae, Alectoriae, Magnus Dux Kispucianorum, et Dominus de Canalisca, Mezendorico Imperatori Miklopolatu salutem! Notum tibi erit,

consilio Numinis immutabili statutum esse, vt cuncta orbis imperia ac regna Quamiticae ditioni subiiciantur, et, cum consilium Numinis sit irreuocabile, necesse est, vt tuum imperium eandem sortem subeat. Hortamur igitur ad spontaneam deditionem, et monemus, ne aleae belli regna tua subiicias, victricibus nostris armis temere te opponendo. Matura obedientia sanguini innocentum parcas, et sortem propriam meliorem reddas. Datum in classe nostra tertio die mensis Rimat.”

336 Post aliquot dierum intercapedinem |reuertuntur legati cum feroci ac superbo responso. Hinc, abiecto pacis consilio, exscensionem fecimus. Explicatis copiis, et in aciem instructis, speculatores mittimus, statum hostium exploraturos. Iidem mox reuersi indicant, ingruere hostilem exercitum, compositum e 60000 leonibus, tigribus, elephantis, vrsis, toruisque ac praedatoriis auibus. Hinc in loco opportuno consedimus, aduentum hostium ibidem excepturi. Cunctis iam paratis, et dato pugnae signo, mittuntur ab hoste quatuor vulpes, siue legati, de foedere ac pace nobiscum acturi. At, postquam aliquot horas cum Ducibus nostris collocuti fuerant, infecta re discedebant. Et patuit mox, speculatores potius, quam legatos fuisse, eumque solum in finem missos, vt statum exercitus nostri expiscarentur. Simulabant quidem, cum mandatis mox amplioribus reuersuros: at, cum paulo post totum hostilem exercitum, citato in castra nostra gradu tendere cernimus, nullam esse pacis spem animaduertentes, signa conuellimus, citato gradu ad hostes tendentes.
337 Pugnatum est diu acriter, et mira vtrinque pertinacia. Nam |licet a sclopetariis nostris mox ingens edita fuerit hostium caedes, ordines tamen constanter seruabant elephanti, globorum ob corporis duritiem securi. At, postquam tormentis maioribus fulminari coeptum est, funestumque eorundem effectum viderunt elephanti, immenso perculsi terrore, passim dilabuntur,

Ignauaque fuga pugnam famamque relinquunt.

In hoc praelio caesi fuerunt 33000 Mezendorii, et 2000 viui in manus nostras inciderunt: qui e pugna elapsi sunt, ad metropolin, vrbem munitissimam, se receperunt, terrore omnia implentes. Nos vero victoriam prosecuti, ad regiam vrbem tertiis castris peruenimus, quam terrestribus simul ac maritimis copiis obsedimus. Appropinquantibus nobis occurrit noua legatio, cum pacis conditionibus paulo aequioribus.

Petit Imperator, vt filiam, quae omnium leaenarum formosissima erat, nuptiis mihi adiungerem, dotemque pollicetur dimidiam imperii partem.
338 Displicuit mihi conditio, maxime quae de nuptiis filiae erat oblata; nam intutum si|mul ac turpe mihi videbatur, repudiata Imperatrice, quam grauidam reliqueram, cum leaena sociari. Hinc legati absque responso reuerti iubentur. Tormenta mox maiora dirigimus in moenia vrbis, quae, quamuis lapidea essent, passim lacerantur, ac sternuntur. Et, cum ciuitas diuersi generis animantibus esset oppleta, mirus exauditur stridor rugientium, vlulantium, boantium, rudentium, balantium, ac sibilantium. Serpentes in fissuras terrae se receperunt,

– – Secretisque diu latuere cauernis.

Aues pennis se per aëra librantes, vrbe tandem obsessa relicta, rupes ac edita loca petunt. Tremunt arbores, foliisque earum decidentibus plateae vrbis operiuntur. Audiuimus, viginti fere virgines aulicas, quae rosae ac lilia erant, ad primum tormentorum explosionem stupentes, subito exaruisse. Ingens colluuio omnis generis animantium, et vrbanos et agrestes, confertos in arcta tecta aestu et vigiliis angebat, ministeriaque inuicem et contagio vulgabant morbos. Elephantis quidem animus magis constabat: at tandem maiorum tormentorum

339 |

Perculsi sonitu, moerentia tecta relinquunt.

Hinc de salute desperans Imperator *Mezendoricus*, concilio habito, ita dicere exorsus est:

Bellum importunum, ciues! cum gente Deorum
Inuictisque viris gerimus, quos nulla fatigant
Praelia, nec victi possunt absistere ferro:
Consulite in medium, et rebus succurrite nostris.

Tunc omnes vno ore clamabant:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Hinc Imperator se ipsum, cum cunctis, quibus imperauerat, terris dedidit, adeo, vt vno die amplissimum Imperium, cum decem fere regnis et principatibus, ditioni meae subiecerim. Nam exemplum Imperatoris

secuti sunt omnes reguli, ac prouinciarum praefecti, certatimque fidei se
nostrae permiserunt.
Post stupendum adeo successum, praesidio sexcentorum
340 sclopetariorum vrbi re|giae imposito, captiuum Imperatorem in classem
nostram transferri iubeo. Humaniter in hoc itinere habitus fuit, et post
reditum in *Quamam*, donatus a me fuit integra prouincia, cuius reditus
tanti erant, vt sumptibus captiui Regis quodammodo sufficerent. Solutis
ancoris, litora *Mezendorica* radimus, et iter faciendo, e plerisque
gentibus, quae Imperatori *Miklopolatu* paruerant, obsides exposcimus,
adeo, vt singulis oppidis bellum ostentando, omne nomen *Mezendoricum*
breui domuerim. Gentes hae maximam partem eaedem erant, quarum in
itinere meo *Martiniano* conspectum dedi. Relictis tandem terris
Mezendoricis, cursum dirigimus in *Martiniam*, cuius litora tandem post
felicem, sed longam nauigationem, conspicamur. Nullius terrae adspectus
gratior mihi vnquam fuit; et, cum animo reputarem, Imperatorem me iam
ac multarum gentium domitorem redire in terram, vbi inter mancipia ad
triremes damnatus fueram, ingenti perfundebar animi laetitia.
Decreueram mox, me ipsum profiteri, vt eo maiorem Martinianis
341 terrorem iniicerem: at consilium istud mutaui, cum con|sultius
iudicarem, antiquum de natalibus meis errorem, inter gentes deuictas
semel disseminatum, fouere, ac pro solis Legato me gerere.

Sperabam quidem, breui me ac nullo negotio *Martinianos*, quorum
perspecta mihi erat mollities, subacturum. Nam prona semper gens in
voluptatem, non ingeniorum modo vitiis, sed et affluenti omnium rerum
copia, illecebris omnis amoenitatis, maritimae terrestrisque, longaque
felicitate et indulgentia fortunae luxuriabatur. At, experientia didici, rem
esse magnae molis: nam respectu commerciorum, quae longe lateque in
orbe subterraneo exercebant, immensas cumulauerant opes, quibus
auxilia bellicosissimarum gentium ad nutum parata habebant. Huc adde,
quod peritia rei naualis nulli genti subterraneae *Martiniani* tunc
cederent, nauesque nostrae prae hostilibus inconditae essent, et tardius se
mouerent. Nam facile est coniicere, quanti essent momenti machinae
istae nauales, a Philosophiae Baccalaureo tumultuario opere] ope *A B*
342 formatae, qualeque iudicium subirent, si |examini Batauorum, Anglorum,
aut Danorum fuissent expositae. At defectum hunc abunde supplebant
tormenta, Martinianis adhuc incognita.

Antequam hostile quid tentarem, legatos ad Senatum misi, iisdem fere pacis conditionibus, quas Imperatori *Mezendorico* nuper obtuleram. At, dum responsum expectamus, plenis in nos velis ferri conspicamur classem instructissimam, et talem, qualem nobis fingere non potuimus. Hinc classe, quantum in ista festinatione fieri potuit, ordinata, pugnae naualis signum damus. Certatum diu vtrinque fuit pari ardore et constantia. Martiniani pro tormentis machinas habebant, immensi ponderis lapides eiaculantes, quibus haud leue damnum nauibus nostris inferebatur. Aderant porro rates incendiariae, pice, bitumine, sulphure, aliisque ignis fomitibus onustae, a quibus maxima nostra nauis incensa fuit ac deleta. Hinc dubius diu mars, inter pugnae fugaeque consilium trepidantibus nostris. At, horrenda tormentorum nostrorum fulmina
343. animos *Martinianorum* tandem frege|runt, adeo vt, omissa pugna, in portum refugerent. Nullam tamen hostilem nauem cepimus, cum velocitate nostris longe praestantiores, breui conspectum effugerint. Hac pugna pugnata, terrestres copias in litora exponimus, passibusque rapidis ad metropolin Martiniam tendimus. In hoc itinere obuios habuimus legatos nostros, fastose a senatu exceptos, ac his verbis remissos:

Maturate fugam, Regique haec dicite vestro;
Non illi imperium pelagi saeuumque tridentem,
Nobis sorte datum: tenet ille immania saxa.

Nam imperium maris sibi vindicantes Martiniani, postulata ista montani principis superciliose exceperant. Ingenti tamen cura copias conscribunt; nam praeter milites mercede conductos, omne nomen Martinianum, omnis militaris aetas excitur.

Vix aliquot stadia emensi eramus, cum numerosissimum exercitum, e
344. diuersis |gentibus compositum, recta in nos ferri cernimus. Hostium ista confidentia, etiam postquam improspere mari pugnauerant, non exiguam nobis solicitudinem iniecit. Sed copiae hae meteora tantum erant, quae apparent, ac euanescunt simul; nam

– *ante tubam tremor occupat artus.*] artus, *A*

Et mox, ad primam tormentorum explosionem, effuse fugiunt Martiniani. Nos fugientium tergis inhaerentes, ingentem eorum stragem edimus. Quanta hostium tunc caedes facta fuerit, patuit e copia *peruccarum*, quas post pugnam colligimus: nam numero earum quas cepimus inito, quinque

fere millia Martinianorum caesa fuisse coniecimus. Formas earundem post abitum meum mutauerant: nam vltra viginti diuersas *peruccarum* figuras notaui, quippe ingeniosissima gens commenta in infinitum propellit.

Post prosperum istud praelium vel potius stragem, metropolin Martiniam, nemine impediente, obsedimus. At, paratis oppugnationi
345. necessariis, ac tormen|tis dispositis, in castra nostra supplices veniunt ipsi Senatores, vrbem cum tota Republica dedentes. Hinc pace mox facta, triumphantium more vrbem splendidissimam ingredimur. Cum intrauimus portas, non quidem fuit tumultus ille nec pauor, qualis captarum esse vrbium solet, sed silentium triste, ac tacita moestitia ita defixit omnium animos, vt prae metu obliti, quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantes alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, tanquam vltimum illas visuri, peruagarentur. At parsum est deditae vrbi: quo facto, tristitia in gaudium versa est. Aerarium Reipublicae intrans, stupebam ad visum immensi thesauri: huius magnam partem inter milites distribui, quod reliquum erat, aerario meo inferri iubeo. Praesidio Martiniae imposito, obsides aliquot e numero senatorum in classem nostram abducti sunt. Inter hos erat Syndicus vna cum vxore, quae crimen istud, ob quod damnatus eram, mihi affinxerat. Contumeliam tamen hanc non vindicabam, indecorum
346. existi|mans tanto Monarchae, iniuriam baiuli vindicta persequi.

Debellatis Martinianis, vicinas huic Reipublicae gentes sub iugum quoque mittere decreui. At, in procinctu iam stanti, occurrunt legati quatuor regnorum, ditioni meae se subiicientes. Tot iam regionibus imperabam, vt de nomine deditorum regnorum quaerere operae pretium non ducerem, contentus eadem sub generali titulo Regnorum Martinianorum complecti.

347. |

CAPVT XV.
CATASTROPHE.

Rebus tot stupendis peractis, classeque nostra nauium *Martinianarum* accessione insigniter aucta, vela facimus in patriam, vbi reduces facti,

summa magnificentia, et qualem nunquam exaequarunt Romani, triumphum egimus. Et sane, rerum gestarum magnitudo tanta erat, vt nulla festiuitas, nulla pompa nimia videri posset. Quid enim praeclarius, quid vero heroismo dignius, quam gentem nuper contemptam, et omnium insultibus expositam, in totius subterranei Orbis Reginam ac Dominam, exiguo temporis spatio, transformasse? Quid homini mihi, inter tot creaturas heterogeneas viuenti gloriosius, quam generi humano istud asseruisse imperium, quod natura in reliqua animantia concessit? Magnificentia huius triumphi, quo occursu, quo fauore omnium hominum, aetatum, ordinum exceptus fuerim, ne in operis quidem iusti
348 materia, nedum huius tam recisi, digne exprimi |potest. Ex eo tempore noua in historiis epocha statui, et quinque Monarchiae numerari possunt, scil. Assyriaca, Persica, Graeca, Romana et Quamitica subterranea: et videtur nouissima haec priores magnitudine ac potentia superare. Hinc titulum *Koblu* siue Magni, qui tam a *Quamitis*, quam a deuictis gentibus certatim mihi oblatus fuit, recusare nequibam. Elatum sane ac superbum fateor nomen istud *Magni*: at, si conferant se veteres illi Cyri, Alexandri, Pompeii, Caesares, qui infra laudes Klimii iacebunt, modicus et demissus hic titulus videri potest. Orientem quidem subegit Alexander, at, quibus copiis? militibus veteranis, perpetuisque bellis induratis, quales erant Macedones tempore patris Philippi. Ego vero longe plures, et Persis ferociores gentes, minori temporis spatio, cum populo nuper rudi ac barbaro, quem ipse formaueram, imperio meo subieci. Titulus, quo postea vsus sum, hic erat: NICOLAVS MAGNVS, SOLIS LEGATVS, IMPERATOR QVAMAE ET MEZENDORIAE, REX TANACHI, ALECTORIAE, ARCTONIAE, REGNORVM
349 MEZEN|DORICORVM ET MARTINIANORVM, MAGNVS DVX KISPVCIAE, DOMINVS MARTINIAE ET CANALISCAE etc. etc.

Ingens iam stabat Regnum, poteramque videri
Exilio felix; sed scilicet vltima semper
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Postquam enim iam ad eam, quae vix voto humano concipi potest, felicitatem et potentiam perueneram, idem mihi accidit, quod iis, qui e sordidis initiis ad summa crescunt. Nam immemor pristinae sortis, ad fastum dilabor, et pro poplicola et omnis aurae popularis captatore, trux ac saeuus omnium ordinum insectator fio, subditos, quos adhuc comitate

ac popularitate mihi deuinxeram, tanquam mancipia despiciens, adeo, vt
nemo, nisi praeuia quadam adoratione, ad colloquium meum
admitteretur, et admissi constricta fronte altoque supercilio exciperentur:
350 id quod omnium animos a me breui alienabat, amoremque in frigus ac
terrorem |mutabat. Quali tunc in me animo fuerint subditi, expertus sum
paulo post e petitione, seu potius mandato, quod literis regiis Quamitis
insinuaueram. Imperatrix, quam grauidam reliqueram, absente me,
Principem enixa fuerat. Principem hunc mihi successorem designare
gestiens, comitia indixi, Quamitas, vna cum deuictarum gentium
praecipuis, ad solennem pueri inaugurationem inuitans. Nemo quidem
huic mandato obniti ausus est, quocirca ingenti pompa celebrata fuit
inauguratio. At, vultus subditorum in simulationem esse compositos, et
ficta esse, quae prae se ferebant, gaudia, haud difficile mihi erat
internoscere. Confirmabant suspicionem disseminati eodem tempore, ab
incertis autoribus silli, in quibus iniuria, Principi *Temuso* hac electione
facta, salse monstrabatur. Tantam istud solicitudinem ac aestum in animo
ciebat, vt requiescere non possem, antequam optimum Principem e medio
sustulissem. Palam tamen filium Regis, de me bene meriti, interficere
351 inconsultum videbatur. Hinc quosdam subornabam, qui proditionis
eundem arcesserent. Et cum criminum regiorum |nunquam desint
ministri ac adiutores, inuenti sunt, qui iureiurando testabantur, male
animatum Principem turbas meditari, ac vitae meae insidias struere. Hinc
in carcerem coniectus, a iudicibus, quorum maximam partem
corruperam, capite damnatus fuit. Exsecutio tamen clam in custodia, ne
turbis ansam daret, facta est.

Quod ad Principem secundo genitum attinet, cum adhuc infra annos pubertatis esset, tempus caedi eiusdem destinatum prorogabam. Tutus sic ad tempus contemptu erat aetatis, cum in iure nihil praesidii esset. Pollutus hoc parricidio, seuere adeo ac impotenter regnare coepi, eoque demum saeuitia mea processit, vt diuersos, tam Quamitas, quam alios, quorum fides dubia mihi videbatur, morti dederim. Nulla fere dies incruenta, ac a caede aliqua immunis erat, id quod rebellionem, quam diu iam machinati erant Proceres, vti mox narrabitur, accelerabat.

Fateor hinc, mala ista, quae postea expertus sum, haud immerito mihi
352 accidisse. Honestius sane, ac Principe Christi|ano dignius fuisset, rudem
ac idololatram populum ad veram Dei notitiam perducere, quam bella e
bellis serendo, innocuarum gentium sanguine manus cruentare. Et facile

mihi fuisset, totam gentem conuertere: nam quicquid statuebam, auide amplectebantur, et dictata mea totidem oracula erant. At, Dei ac mei ipsius oblitus, nil nisi vanum ac inanem splendorem potentiaeque incrementum cogitabam:

Arma, cruor, caedes, incendia totaque bella
Ante oculos volitare. – –

Praeterea ad pessima consiliorum conuersus, augere causas offensionum quam tollere malui, quasi quod per iniustitiam peccatum fuerat, emendari seueritate posset. Ad amicorum admonitiones respondere solebam:

Res dura, et regni nouitas me talia cogunt
Moliri. – – –

Hinc ad malum innumerae res malae se agglutinarunt, ac in tantam
353. calamitatem incidi, vt ex meo exemplo discant mor|tales, quanta sit rerum humanarum vicissitudo, et quam exiguae durationis sit durum ac violentum imperium.

Cum seueritate regiminis mei creuit frigus subditorum, tam Quamitarum, quam deuictarum gentium: et cum animaduerterent, vitia ista, quibus deditus eram, absona esse fidei diuinae originis, et homini coelesti, ac legato solis non conuenire, curatius omnia, in primis vero causam aduentus mei, et statum istum, in quo deprehensus eram, cum ad oras has delatus fui, ad examen vocare coeperunt. Videbant stupendas istas res, quas gesseram, ignorantiae potius Quamitarum, quam artibus meis deberi, maxime, cum post discussas veteris ignorantiae nebulas, in multis me errasse offenderant. Seueri inprimis actionum mearum censores fuerant *Kispuciani*, gens perspicax, et viribus iudicii pollens. Notauerant, inter edicta, quae publicaueram, varia cruda adeo ac incondita esse, vt crassam in rebus politicis inscitiam manifesto proderent. Nec iniusta erat crisis: nam, cum thronum ac sceptra non
354. somniauerint vitae et studiorum |meorum moderatores, institutionem nactus fueram, candidato potius Ministerii, siue Diaconatus, quam regnaturo Principi conuenientem, et studia mea, quae vltra systema quoddam theologicum, ac terminos quosdam metaphysicos, non extendebantur, parum congrua erant statui praesenti, vbi de duobus imperiis, et viginti fere regnis rite gubernandis agebatur. Porro notauerant *Martiniani*, naues, quas struxeram, bellicas informes adeo

esse, vt in praeliis contra ordinatas classes nullus earum esset vsus, ideoque tropaea ista naualia soli tormentorum commento esse adscribenda. Has et alias acerbas crises disseminantes, ad animum simul reuocabant modum appulsus mei in haec litora, nempe quod tabula naufraga, laceris vestibus, et siti inediaque paene enectus, a litoris accolis deprehensus fuerim, qui status in solis Legatum cadere non poterat. Huc adde, quod iidem Martiniani, cum physicae coelestis apprime essent gnari, elementa quaedam astronomica inter Quamitas disseminassent, monstrassentque, solem esse corpus inanimatum, ab omnipotenti Deo in
355 centro coeli locatum, vt |lucem rebus ministret, ac calore creaturas foueat, et cum igneae esset naturae, animantium terrestrium domicilium esse nequire.

His et aliis sinistris rumoribus quotidie differebar. At, murmura tantum erant, cum nemo, metu potentiae meae, palam loqui, ac mentem aperte detegere ausus sit. Hinc diu nesciebam, eo vsque maturuisse maleuolentiam subditorum, vt status quaestionem mihi mouerent, donec tandem omnem mihi dubitationem excussit Libellus, lingua Canaliscana compositus, sub hoc titulo: FELIX NAVFRAGIVM. Complectebatur libellus cunctas istas accusationes, quarum nuper conspectum dedi, scriptusque erat stylo arguto ac dentato, secundum genium Canaliscarum, qui in eo scribendi genere excellunt. Nam antea notaui, in dicteriis eiaculandis exercitatissimos esse Canaliscas, cum maxima eorum bella solis conuiciis gererentur.] *Verba* Nam antea ... gererentur *ante verba* Complectebatur libellus *posita in A B; Verba* Nam antea ... gererentur *ante verba* Complectebatur libellus *posita in Elberling SS Kragelund (vide comm.)*

At, tanta tunc erat animi mei impotentia, tanta virium mearum fiducia, vt nullis admonitionibus flecti, ac ad saniorem mentem perduci
356 potuerim. Salu|berrima enim consilia fomites potius, quam sufflamina seueritatis erant. Quocirca quosdam, quos maxime suspectos habebam, arreptos exquisitissimis tormentis, ad prodendum libelli autorem, impellere tentabam. At, cruciatus mira constantia sustinebant omnes, adeo, vt nihil aliud hac crudelitate effectum sit, quam vt odium in furorem verterem. Ita praeualebant fata consiliis, et in praecipitia pronus ibam.

In isto rerum statu, superstiti Principi *Hicoba*, manus iniicere decreui. Consilium istud magno Cancellario *Kalac*, cui maxime fidebam, aperui. Pollicitus quidem ille omnem operam et obedientiam, mox digreditur, executurus quod decreueram. At, consilium istud clam detestans, Principi insidias detexit, amboque in vrbis arcem munitissimam se

receperunt, vbi, praesidiariis militibus in concionem vocatis, statum praesentem pathetice exposuit, et, cum lacrymae ac gemitus periclitantis 357 Principis haud leue pondus orationi illius adderent, arma capiunt omnes, polliciti, pro salute Principis pectora op|posituros. Hinc sagacissimus Cancellarius animis, dum calerent, vsurus, in verba Principis omnes iurare adegit, nuntiosque, clam ad alios, quos in me male animatos nouerat, illico misit, eosdemque ad arma capienda contra tyrannum, qui veterem stirpem regiam penitus exscindere moliebatur, acuebat. Igitur armati

Conueniunt, quibus aut odium crudele tyranni
Aut metus acer erat,

ac cum praesidiariis arma socia iungunt. Dum reditum Cancellarii exspectabam,

Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnis arcem terroribus implet!
Indicat, armatos totis descendere campis,
Regem ad supplicium praesenti morte petentes.

Suadet tunc *Tomopoloko* maturum in Tanachin receptum: *agedum!* inquit, *conscribamus in patria mea exercitum, et hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor*. Haec audita instabilem animum variè] *B,* variae *A;*
358 variae *SS (SS* variè *in app. commendat.)* mouerunt, alternantibus timoris ac fidu|ciae causis.] *B,* causis, *A* Tandem monitis illius obtemperans, *Quamam* sine obstaculo, cum causa gliscentis seditionis adhuc plerosque lateret, reliqui. Postquam ad limites Tanachitarum perueneram, omnes, qui arma ferre poterant, adesse iubeo. Hinc exercitu 40000 militum, quorum plerique Tanachitae erant, parato, iter remetior, sperans ex accessione Quamitarum, qui in fide permanserant, insigne exercitus mei incrementum. At, vana me spe lactabam: nam pro copiis auxiliaribus, quas stolide mihi pollicebar, obuium habui fecialem cum literis, nomine Principis scriptis. In hisce bellum mihi legitimum, tanquam fraudulento inuasori, indicitur, simulque nuntiatur, in vinculis teneri coniugem cum filio ex ea nato. Paulo post discessum fecialis exercitum Quamiticum cum principe rebelli conspicamur. Et cum exercitus hic ingenti tormentorum copia instructus esset, aleam certaminis subire non sustinui, antequam auctae forent vires: quocirca subsistens, castra aggeribus ac munimentis]

359 *A,* munimentis *B* firmaui. At, cum animaduerterem, milites meos ad hostes clam transfugere, ac hostilem exercitum noua exspectare sup|plementa, hortantibus Ducibus, nec refragante *Tomopoloko*, confligere decreui. Pugnatum est in eadem planitie, vbi aliquot abhinc annis decretorio isto certamine profligati fuerunt Tanachitae. Hostium tormentis ordines nostri mox turbabantur, doluitque me valde,] *A B;* doluique valde, me *Elberling* propriis commentis impugnari, ac armis, quae ipse formaueram, vinci. Aliquandiu tamen milites mei impetum rebellium sustinuerunt, donec Tomopolokus , fortiter dimicans, globo tormenti traiectus caderet. Tunc versis tergis, latebras montium ac syluarum quaerimus. Ipse in rupem enixus, inde in vallem subiectam me praecipitem dedi. Ibi aliquandiu subsistens, calamitatem meam, seu potius stultitiam, seris lacrimis ac suspiriis damnabam. Et tanta tunc erat animi mei perturbatio, vt diadema, seu tegumentum capitis, radiis solaribus interstinctum, et quod me proderet, abiicere negligerem. Postquam dimidiam fere horam in ista conualli trepidus consederam, audiebam voces rupem scandentium, ac cum fremitu fugientem ad poenam deposcentium. Fugam hinc circumspectans, latebras quaerebam.

360 |

> *Sylua fuit late dumis atque ilice nigra*
> *Horrida, quam densi complebant vndique sentes.*

Illuc properantem

> *Rara per occultos abduxit semita calles*

vsque ad cauernam] cauervam *A B;* cauernam *ed1754* , ante quam paulum substiti, aegre ex cursu animam reciprocans: mox vero in eandem, more serpentis humum corpore verrens, irrepsi, et, cum cauernam valde profundam ac deuexam, licet non praeruptam, animaduerterem, vltima adyta penetrare decreui. At spatium centum circiter passuum emensus, in locum abruptum incido, vnde tanquam fulmine deturbatus per spissas feror tenebras et perpetuam noctem, donec tandem creperum quoddam lumen,

> *Quale per incertam lunam sub luce maligna*

reddi solet, conspicor. Cum luminis istius augmento sensim diminuitur cadentis impetus, adeo, vt leui nisu, tanquam ex vndis enatans, inter rupes quasdam saluus emerserim, quas summo cum animi stupore

361

easdem esse videbam, e quibus ante |aliquot annos in subterranea praecipitatus fueram. Causam vero languescentis impetus, didici post aliquam meditationem, nasci e qualitate athmosphaerae superioris, quae pondere suo magis grauis est quam subterranea: nam nisi grauior esset nostra, eandem sortem in ascensu habiturus fuissem, quam in descensu, et sublimis forsitan per aërem vsque ad regionem lunae delatus fuissem. Hanc tamen hypothesin maturiori Physicorum examini submitto.

362 |

CAPVT XVI.
REDITVS IN PATRIAM, ET FINIS QVINTAE MONARCHIAE.

Iacebam diu inter rupes omni sensu destitutus, magnas enim in cerebro turbas ciebant tam lapsus ipse, quam mira ista metamorphosis, qua breui me e fundatore quintae Monarchiae in pauperem et famelicum Baccalaureum transformatum videbam. Et sane casus iste stupendus adeo ac poëticus erat, vt vel optime constituti cerebri compagem facile posset turbare. Interrogare igitur animum coepi, an vera essent, quae videbam, an vero somnium errantes luderet oculos. Deferuescente non nihil aestu, postquam paulo ad me redire coepi, stupori succedunt dolor ac indignatio.

Tunc duplices cum voce manus ad sidera tendo:
363 |*Omnipotens Genitor! tanton' me crimine dignum*
Duxisti? et tales voluisti expendere poenas?
Quo feror? vnde abii? quae me fuga, quemque reducet] *A B;* reducit *Elberling SS* ?

Et sane, si reuoluantur Annales] Annales, *A B* ac Historiae tam remotioris, quam nostri aeui, vix exemplum tanti casus occurret, nisi forte in Nabocodonosore, qui e maximo terrae Monarcha, in feram, syluis inerrantem, transformatus fuit. Eadem ego fortunae ludibria expertus

sum: extorquentur mihi paucis horae momentis duo magna Imperia, cum viginti fere Regnis, quorum solae vmbrae ac vanae imagines supererant; Monarcha nuper fueram, iam scholarchae aut ludimagistri munus in patria vix sperare poteram: solis Legatus vocabar, iam vero ob inopiam famulum Episcopi vel Praepositi cuiusdam fore verebar: comites me nuper tenebant gloria, spes, salus, victoria, iam vero cura, miseriae, aegritudo, lacrymae, lamentatio. Denique quasi solstitialis herba paulisper fui: repente exorsus sum, repente occidi. Vt breui praecidam:
364 dolor, indignatio, solicitudo, |ira, desperatio, tot in animo fluctus ciebant, vt modo

– – crudum per costas exigere ensem,

modo in cauernam, ex qua emerseram, me rursus praecipitem dare non dubitauerim, exploraturus] *A,* exploraturum *B* , ecquid melius succederet secunda expeditio subterranea:

Ter conatus vtramque viam, ter vtramque reliqui.

A consilio maxime reuocarunt cura animae, ac religionis Christianae principia, quae prohibent indemnatum spiritum, antequam fata poscunt, effundere.

Descendere igitur de monte per asperum istum et angustum callem, qui in *Sanduicum* ducit, conabar. At, cum profundis meditationibus distracta mens esset, identidem in itinere cespitabam: nam in contemplatione quintae istius Monarchiae totus animus defixus erat. Haec vanis imaginibus, recentibus tamen, pertinaciter adeo animo oberrabat, vt mentem mihi penitus excuteret. Et sane, iactura dignitatis
365 ac potentiae tanta erat, vt nullis in |patria emolumentis compensari posse iudicarem. Fingebam, Prouinciae Bergensis, aut, quod maius esset, totius Noruegiae Praefecturam mihi deferendam: at qualis compensatio? quale solatium tot Imperiorum nuper Monarchae, ac Conditori? decreui tamen, praefecturam, si qua forte mihi in patria offerretur, non omnino respuere. Postquam medium itineris emensus eram, pueros quosdam in conspectu habui, quos nutu ad me inuitans, opem eorum implorabam his verbis: *Ieru Pikal Salim*, id quod lingua Quamitica denotat: *monstrate mihi semitam*. At pueri ad visum hominis, vestibus peregrinis amicti, ac pileum radiis solaribus fulgentem gestantis, trepidantes, edito horrendo clamore, e rupibus se praecipitant, adeo, vt tardius me incedentem, ac per

rupium fragmenta saucios pedes trahentem occupent, horaque citius in Sanduicum veniant, vbi totum vicum terrore complent, sancte iurantes, vidisse se inter rupes errantem sutorem Hierosolymitanum, solaribus
366 radiis coruscum, et crebris suspiriis vulnus animi prodentem. Quaerentibus paganis, vnde scirent, sutorem esse Hierosolymita|num, respondebant, me ipsum nomen et patriam indicasse. Errorem hunc natum coniiciebam e male intellectis verbis *Ieru Pikel*] *A B;* Pikal *ed1754 Elberling Kragelund* *Salim*. Totus hinc vicus commouetur, nemine de rei veritate dubitante, maxime cum nuper recocta esset fabula de isto ambulante sutore, idemque diceretur non ita pridem *Hamburgi* apparuisse.

Inclinante ad vesperam die, cum ipse *Sanduicum* venerim, conglobatos in vnum conspicabar totius tractus incolas, quos insitum mortalibus studium, inusitata noscendi, vndique exciuerat. Hi nouum hospitem excepturi, ad radices montium diu suspensi steterant, statim vero ac loquentem me audirent, panico quasi terrore perciti, diffugiunt omnes, praeter vnum senem, qui caeteris audacior, loco non mouit. Hunc mox alloquor, rogans, velletne hospitio errantem excipere. Quaerebat ille:

– – – Quibus orbis ab oris?
Quid genus? vnde domo?

Ad haec ego:

Suspirans, imoque trahens a pectore vocem:
367 |*Si vacet annales nostrorum audire laborum,*
Ante diem clauso componet vesper olympo,

“quam haec absoluero, intra limina vero tecti receptus, seriem pandam fatorum, quae fidem superare videntur, et quorum exemplum nulla suppeditabit historia.” Nouitatis auidus senex, manu tunc prehensum, me ad tectum ducit, damnans intempestiuum popularium metum, qui ad quamuis ignotam faciem, tanquam ad aspectum cometae, trepidant. Admissus intra tecti limina, frigidam posco, qua sitim depellerem. Ipse mihi mox poculum zytho plenum affert, cum nec vxor, nec ancillae prae metu adesse sint ausae. Exhausto poculo, ac sitis ardore sedato, ita loqui exorsus sum: “Vides hic hominem, diris iactatum procellis, ac tot fortunae ludibria, quot] quod *A B;* quot *Elberling,* quod *SS* nemo mortalium vnquam subierit, expertum. Constat quidem, puncto temporis maximarum saepe rerum momenta verti: at ea, quae mihi acciderunt, omnem fidem exsuperant.”

368 |

Namque meus casus nec multis cognitus est, nec
Tritus, et e medio fortunae ductus aceruo.

Ad haec regessit hospes, sortem hanc esse diu errantium: quot enim vicissitudines, quot casus 1600 annorum peregrinatio non pariat] *A,* pariet *B* ? Non cepi mentem illius, quocirca rogabam, quid per istos mille et sexcentos annos sibi vellet. *Si fides*, inquit ille, *historiis sit adhibenda, iam 1600 anni sunt, ex quibus deleta fuit Hierosolyma: non dubito, vir summe venerabilis, quin tempore istius excidii aetate iam prouectior fueris; nam, si ista, quae de te narrantur, vera sint, possunt natales tui ad principatum Tiberii referri*. His dictis, obmutui, senem delirare putans, moxque indicaui, huic orationi Oedipo opus esse coniectore. At affert ille tabulam, in qua expressa erat imago Templi Hierosolymitani, rogans, ecquid multum ab archetypo aberret] abberret *A B;* aberret *ed1754* pictura. Hinc in summo meo dolore a risu non temperans, causam perplexi adeo sermonis rogo. Respondet ille: “vtrum in errore verser, necne, ignoro. Testantur huius loci incolae, te esse illum in |historiis decantatum
369 sutorem Hierosolymitanum, qui a Christi tempore totum orbem pererras]
A B; pererrat *Elberling SS,* pererras *Kragelund* . At, quo attentius te intueor, eo magis ad animum reuoco veterem amicum, qui duodecim abhinc annis in apice huius montis periit.” Ad haec verba dissipata oculorum caligine, veterem meum amicum *Abelinum*, cuius domum *Bergis* saepe frequentaueram, agnosco. In amplexus mox ruo, collumque ipsius ambobus lacertis inuadens: “teneone te, *inquam*, Abeline! vix hoc iam oculis meis, vix manibus credo: vides iam Klimium tuum, ex orco redeuntem: idem sum, qui ante hos duodecim annos in cauernam praeceps iuerim.” Ille insperato hoc phaenomeno confusus,

Non aliter stupuit, quam qui Iouis ignibus ictus
Viuit, et est vitae nescius ipse suae.

Video, ait, *Klimii mei faciem, nota vox aures meas ferit: nam*

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

“At, quamuis neminem Klimio magis geminum viderim, sensibus tamen
370 meis fidere nec possum, nec debeo, mortui |enim hodie non resurgunt:

efficacioribus opus est testibus ac argumentis, vt verbis tuis fidem adhibeam."

Hinc, vt incredulitatem illius expugnarem, exerte partiteque recensebam ea, quae inter nos acta olim fuerunt. Quo audito, animi tandem nubes remouetur, in amplexus mei ac lacrymas simul ibat, altum exclamans. "Video iam ipsum hominem, cuius laruam me videre credebam: at, expone mihi, vbinam gentium tanto temporis spatio delituisti, et vbinam mirum istum et barbarum habitum nactus es." Tunc ego ordine omnia, quae casum meum insecuta sunt, pandere exorsus sum, attenteque ille perorantem audiuit, donec ad planetam *Nazar* et Arbores, loquela ac ratione praeditas, ventum sit. Tunc impatiens: "quicquid, *ait*, vel ineptire possunt somnia, vel fabricare insania, vel delirare temulentia, id omne in te promiscue conspicitur: crederem potius cum plebe nostra, in manus lemurum te cecidisse: nam verisimiles hae nugae plebeiae prae tuo itinere subterraneo videntur."] *B,* videntur. *A*
371 Suppliciter orabam, vt patienter aures praebe|ret, donec telam orationis, quam exorsus eram, pertexerem, et, impetrato silentio exponere pergebam, quae in subterraneis mihi porro acciderant] *A,* aciderant *B* , diuersa quae expertus eram fata, et tandem, quod maximae, quae vnquam in terris extiterit, Monarchiae Conditor fuissem. Haec omnia suspicionem, quam de commercio meo cum Faunis aut Satyris conceperat, adauxerunt] adauxit *A,* adauxerut *B;* adauxerunt *Elberling* , credidìtque, praestigiis eorundem me illusum, nubem pro Iunone amplexum. Et, quo certius exploraret incantationis aut veneficii huius effectum, aut quo vsque deliria mea procederent, coepit de statu beatorum et damnatorum, de campis elysiis, aliisque id genus rebus quaerere. Animaduertens ego, quorsum tenderet oratio: "non iniquo, inquam, animo istam tuam incredulitatem fero, cum narratio mea cuiuis homini fabulosa ac poëtica videri debeat; ea enim, quae mihi acciderunt, portentosa adeo sunt, vt omnem fidem humanam proscribant. Iureiurando sancte testor, nihil a me fictum aut additum, sed cuncta, prout mihi euenerunt, simpliciter ac ingenue exposuisse." Ille vero
372 in incredulitate sua |perseuerans petiit, vt aliquot dies quieti darem, cum speraret, interea temporis exsaevituras has in cerebro motas procellas.

Postquam integrum octiduum in domo illius delitueram, sat mihi quietis concessum iudicans hospes] hospes, *A B;* hospes *Elberling,* hospes, *SS Kragelund* ad lustrandam capitis insaniam, ad historiam itineris subterranei, cuius perpetuum interea temporis indictum fuerat silentium, relabitur.

Sperabat tunc, in fumum abiisse quintam Monarchiam, cum subiectis viginti regnis ac principatibus, penitusque adeo euanuisse, vt ne minimi quidem oppidi aut vici imago remaneret. At, cum eadem qua singula, qua vniuersa, et eodem ordine, me repetere audiret, cumque narrationis epilogo pertinacem hanc illi exprobrarem incredulitatem, ac insuper facta quaedam opponerem, quae ipse mihi concedere cogeretur, nempe, quod duodecim abhinc annis in cauernam praeceps iuissem, et quod ignoto ac peregrino cultu tandem in patriam rediissem, animi pendere coepit, nec
373. quid regereret in promptu habuit. Attonitum iam, ac pedem retrahentem acri|ter vrgeo, monstrando, longe absurdius itinere hoc esse hypothesin] essehypothesin *A* illius, de monstris ac lemuribus, antra montium inhabitantibus: nam mera haec esse somnia, ad aniles fabulas releganda, diuersos vero magni nominis Philosophos, concauam esse terram, et alium orbem minorem nostro contineri, statuisse: veritatem huius sententiae experientia me edoctum, sensibus propriis obniti nequire.

His tandem argumentis victus: “tua,] tua *A B; Tua, Elberling,* tua *(SS* "tua", *in app. commendat) SS* inquit, constantia in affirmandis his, quorum fictio nullum tibi emolumentum aut commodum afferat, indocilem meum animum iam plane expugnauit.” Ita de veritate persuasus, narrationem hanc fusius integrare iussit. Mire illi placuit, quod de planeta *Nazar* narrabam, in primis de principatu *Potuano*, cuius leges ac instituta normas aiebat, ad quas omnes Respublicae] Reipublicae *A B;* respublicae *Elberling,* Reipublicae *SS* effingi deberent. Animaduerterat, descriptionem optime concinnati Principatus, e turbidi hominis cerebro fluere non posse: dictata enim diuina verius quam humana videbantur; quocirca, ne, quae audiuerat] *A,* audiuerant *B* , animo exciderent, in literas omnia, me dictante, misit.

374. |Postquam penitus iam conuictum senseram, de me ipso solicitus, quid porro in isto rerum statu faciendum, aut quamnam in patria sortem, post tot in orbe subterraneo res gestas, mihi ominaretur, quaerebam. Tunc ille: “Suadeo, vt nemini mortalium hos casus aperias,

Queis placeas pueris et declamatio fias.

Nostine zelum sacerdotum nostrorum: hi, quoniam proscribere solent eos, qui motum terrae ac quietem solis statuunt, te, de sole ac planetis subterraneis dissertantem, impium, ac Christiana ciuitate indignum, pronuntiabunt. Quot non lapides mouebit, quot non fulmina in te vibrabit solus Magister Rupertus? ille, qui anno superiori, ciuem ad publicam

damnabat poenitentiam, ob id solum, quod Antipodes statuerat: ignis
supplicio expiandam iudicabit doctrinam istam de nouo orbe. Suadeo
igitur, ac moneo, vt aeternum sepulta haec sint, et vt quiete aliquamdiu
apud me maneas.” Vestes mox subterraneas me abiicere iubet, cum nouis
commutandas: porro omnes, qui studio videndi sutoris Hierosolymitani
375 |accurrebant, ab introitu domus solicite arcebat, indicans, sutorem istum
subito disparuisse. Attamen rumor iste per totam regionem breui
percrebuit, et omnes templorum suggestus] suggestus, *A B;* suggestus *Elberling,*
suggestus, *SS Kragelund* et pulpita praedictionibus, vaticiniis, et imminentibus
malis, hanc apparitionem secuturis, personabant. Nam dicebatur in
Sanduicum venisse sutor Hierosolymitanus, irae coelestis praeco,
populum ad poenitentiam hortaturus. Et cum eundo crescere soleat fama,
variis additionibus interpolatur fabula. Ita nonnulli narrabant, mundi
interitum praedixisse sutorem, terminumque S. Iohannis posuisse, intra
quem omnia, nisi resipiscerent mortales, conflagrarent, et id genus alia.
Tantos haec vaticinia motus in certa quadam parochia ciebant, vt rustici
agros incultos relinquerent, cum ob mundi interitum nullam exspectarent
messem. Hinc parochiae eiusdem Pastor Mag. *Nicolaus*, veritus, ne
decimis, aliisque reditibus defraudaretur, paganis indicabat, in annum
sequentem prorogatum esse diem extremi iudicii, quocirca non
dubitarent, ad solitos labores redire. Et cum solis mihi et hospiti meo
376 causa harum |nugarum nota esset, perpetua nobis risui materia dabatur.

Tandem, cum diutius in aliena domo delitescere nequirem, opusque
esset, vt in publicum tandem prodirem, studiosum me *Nidrosiensem*,
sanguine sibi iunctum, qui nuper in hanc prouinciam diuerterat, fingit
hospes. Mox tanto ardore me Episcopo Bergensi, qua verbis, qua literis
commendabat, vt Vir summe venerabilis primum scholae vacantem
Rectoratum mihi tandem polliceatur. Munus istud ad palatum maxime
mihi erat, cum statui isti, quo excideram, quodammodo conuenire
videretur. Nam scholae Rectoratus est imago ac simulacrum regii Imperii.
Ferulae scholasticae saepe cum sceptris confunduntur, et cathedra
thronus, siue solium non raro audit. At, cum diu nulla esset vacatio, et
matura opus esset promotione, quo famem e labris abigerem, statui,
quicquid primum mihi oblatum foret, amplecti. Paulo post commodum
moritur aedituus Templi Crucis, cui successorem me nominabat
377 Episcopus. Ridicula videbatur promotio tot Imperiorum |nuper
Monarchae. At, cum homines nil magis ridiculos faciat, quam paupertas,

et stultum sit, aquam turbidam respuere, vbi sitis fauces tenet, munus hoc, gratiose mihi oblatum non recusans, quiete ac philosophice in eodem officio iam consenesco. Paulo post istam transformationem honestum mihi matrimonium offertur cum filia mercatoris cuiusdam Bergensis, nomine *Magdalena*. Placuit mihi virgo: at, cum verisimile esset, adhuc viuere Imperatricem *Quamae*, verebar, ne Magdalenam ducens, polygamiae crimine me polluerem. At Dominus *Abelinus*, in cuius sinum, quicquid circa praecordia erat, effundere consueueram, scrupulum hunc damnauit, ac stoliditatem dubitationis tot argumentis euicit, vt virginem tandem istam thalami sociam mihi deligere non dubitauerim.

Cum hac Magdalena

Coniugium per sex annos sine crimine concors
Vnum habeo.

378 |Fata tamen mea subterranea eidem nunquam indicaui. At, cum splendoris istud fastigium, vnde decideram, animo penitus delere nequeam, signa quaedam per interualla emicuerunt et actiones, quae statui praesenti parum conueniunt. Geniti sunt ex hoc connubio tres filii, *Christiernus*, *Ianus*, et *Casparus*, adeo, vt in totum quatuor mihi sint, modo Princeps Quamiticus adhuc in viuis sit.

379 |

HVC VSQVE MANVSCRIPTVM NICOLAI KLIMII. SEQVITVR ADDITAMENTVM ABELINI.

Vitam protraxit Nicolaus Klimius vsque] *B,* vsquae *A* ad annum 1695. Interea temporis integritate, ac morum sanctitate omnes sibi deuinctos reddidit. Succensuit illi tantum per interualla Pastor Templi Crucis, ob nimiam grauitatem, quam e fastu ac supercilio venire autumabat. Ego

vero, cui fata viri erant perspecta, mirabar potius modestiam, humilitatem, ac patientiam, qua tot imperiorum Monarcha ignobili adeo munere sit functus. At apud alios, quibus stupenda huius viri metamorphosis incognita erat, superbiae notam penitus effugere nequibat. Solebat statis anni temporibus, dum vires permitterent, montem ascendere, ibique cauernam istam, vnde emerserat, auide
380 intueri. Et notarunt amici, madente lacry|mis vultu ac tumidis oculis inde eum redire solitum, integrumque mox diem in museo solum, et a commercio omnium remotum delituisse. Vxor somniantem quoque de exercitibus terrestribus ac naualibus locutum testabatur. Mentis auocatio eo vsque progrediebatur, vt Prouinciae Bergensis Praefectum semel ad se illico venire iusserit. Has animi turbas a nimio studendi ardore fluere iudicans vxor, de sanitate eius, quam dubiam suspicabatur, valde anxia erat. Bibliotheca eius maximam partem e libris politicis constabat, et cum eiusmodi librorum apparatus aedituo parum conuenire crederetur, eo quoque nomine reprehensus a nonnullis fuit. Itinerarii huius, propria autoris manu exarati, vnicum tantum exemplar, quod in custodia mea asseruatur, extat. Saepe typis hoc opus euulgare molientem variae praegnantes causae a consilio auocarunt.

FINIS.

fig. I |
|
fig. I (verso) |
fig. II |
fig. II (verso)
fig. III |